





*LIX.*  
1724  
12a 2  
*Q. D. B. V.*  
DE.  
**IVRIBVS ET IVDICE**  
**COMPETENTE** *20*  
**LEGATORVM,**

DISSERTATIO IVRIS GENTIVM ET PVBLICI VNIVERSALIS

*QVAM*  
AVSPICII  
**IOANNIS LAVRENTII FLEISCHERI**  
ICTI

AVGVSTISSIMO PORVSSIAE REGI A CONSILIIS AVLICIS  
ET IVRIVM PROFESSORIS ORDINARII  
IN FRIDERICIANA

CONSENTIENTE ILLVSTRI IVRECONSULTORVM  
ORDINE

PVBLICAE ET PLACIDAE ERVDITORVM  
CENSVRAE SVBMITTIT  
*IN AUDITORIO MAIORI*

D. 2. NOVEMBRIS MDCCXXIV.

**NICOLAVS LUDOVICVS DE SCHARDEN**  
HALLENSIS MAGDEBURGICVS  
AVTOR ET RESPONDENS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis IOANNIS GRVNERTI, Academ. Typogr.



VIRO ILLVSTRISSIMO  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO  
**NICOLAO BAR-**  
**THOLOMÆO**  
LIBERO BARONI DE  
**DANCKELMANN**  
ET  
**PRANGIN**

POTENTISSIMI REGIS PORVSSIAE  
CONSILIARIO STATVS INTIMO, REGIMINI IN  
DVCATV MAGDEBURGICO EMINENTISSIMA  
DIGNITATE PRAESIDENTI,  
DOMINO HEREDITARIO IN LODERSLEBEN  
RELIQVA

**DOMINO SVO BENEVOLEN-**  
**TISSIMO**

SALVTEM DICT PLVRIMAM

NICOLAVS LUDOVICVS DE SCHARDEN.

VIR ILLVSTRISSIME  
PATRONE BENEVOLENTISSIME.



Uantum ad publicæ salutis incrementum solicita Virorum sapientum & in gerendis rebus exercitatorum studia conferant, illud omnibus imaginem meritorum TVORVM, quibus rem TIBI publicam deuinisti, contemplantibus non potest non esse exploratissimum. Adeo enim clarissimam lucem TIBI præclare & fortiter facta TVA conciliarunt: Adeo ad admirationem venerationemque Dignitas virtutum TVARVM & illustris splendor excitat hominum animos, vt ad TE colendum propendeant vniuersi, & mihi etiam sancta sit

cta sit venerabilis NOMINIS TVI pietas, IL-  
LVSTRISSIME VIR, habeamque veneratio-  
ne TVI nihil prius nihil antiquius. Nec vero vni-  
us argumenti rationes proliciunt mentem me-  
am adhunc cultum, accedunt aliæ mihi propriæ  
eademque ponderosiores. Quoad enim mens  
mea respicere potest spatium præteriti tempo-  
ris & pueritiae memoriam recordari ultimam,  
inde usque video luculentissima benegnissimæ  
TVAE in me voluntatis monumenta extitisse,  
nulli TE operæ pepercisse ut me beneficiis pro-  
sequereris ornaresque, adfuiisti mihi sacra baptis-  
matis vnda abluendo, ad quantum beneficium!  
Quam igitur deuotissimæ mentis gratiam TIBI  
referam, ILLVSTRISSIME VIR, aut quam in-  
eam rationem probandi meæ TIBI pietatis ac  
officiorum magnitudinem? cumque in TE co-  
lendo patriam mihi constituerim sanctitatem,  
cui demum potius exhibeam rationes studio-  
rum meorum, quam TIBI, CVIVS tam prolixam  
benevolentiam experiri hucusque mihi conti-  
git. Quæ cum ita sint, cum tot nominibus ob-  
strictissimum me TIBI agnoscam, cumque tot  
rationes persuadeant animo meo, ut aliquod  
edam

edam publicum propensissimæ, qua Te colo,  
pietatis argumentum, PATRONE BENEVO-  
LENTISSIONE, facile credo, quas nunc audeo  
TVO committere PATROCINIO academicas  
primitias, ceu tesseras deuotissimæ in TE men-  
tis, benigne fauenterque abs TE suscepimus iri,  
quodque iuuenili huic & imbelli foeti NO-  
MEN TVVM ILLVSTRISSIMVM præscri-  
pferim, illud TE benevolentissime esse interpre-  
taturum. Qua simus gratia ornare non fueris de-  
dignatus, ILLVSTRISSIME VIR, innumerabili-  
bus TVIS in me beneficiis insignem addes cu-  
mulum, a ego, quod mearum erit partium, nun-  
quam committam ut TE collatæ huius in me  
gratiæ collatorumque tot ornamentorum un-  
quam poeniteat; Quin potius SVPREMVM,  
quod rebus præsidet humanis, NVMEN preca-  
bor, ut TE bono publico natum quam diutissi-  
me saluum conseruet sospitem ac incolumem,  
ætatemque TVAM, quæ iam tot solis anfractus  
reditusque feliciter absoluit, esse iubeat fortu-  
natissimam. Vale, EXCELLENTISSIONE  
VIR, meque TVA perpetuo completere  
benevolentia.

HIBDO



*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIONIS  
*DE*  
**IVRIBVS ET IVDICE  
COMPETENTE LE-  
GATORVM.**

CAP. I  
**PRINCIPIA IN SEQVENTI-  
BVS VSVI FVTVRA EXHIBENS.**



Vamuis de Iuribus & Ratio insti-  
tuti.  
Iudice competente Legatorum  
multi plenis operibus & ex in-  
stituto scripserint, nec pauci  
singula capita seorsim fuerint  
prosequuti; nihil tamen ve-  
reor ut, qui mea legerit, cram-  
bem bis coctam appositam fuisse sit existimaturus.

A

Non

2 CAP. I. PRINCIPIA IN SEQVENTIBVS

Non enim futurum est, opinor, vt deprehendat hic ex scriptas sine discrimine aliorum rationes, quibus pro sua singuli sententia stabienda vſi sunt; aut congestam rudem & inconditam exemplorum mollem ob omni historia peritorum, quippe quæ ad rem e iure gentium, hoc est ex naturæ legibus ad negotia gentium applicatis euincendam parum profecto conferunt, mores docent gentium; non ius gentium aliquod efficiunt, vti quidem visum GROTIUS(\*) fuit & BYNKERSHOEK(\*\*) aliisque(\*\*\*)<sup>1</sup>. Quod enim cum alienissimum ab instituti mei rationibus existimem, eaque via incedendum mihi sit, qua per contrarias de Iuribus & Iudice Legatorum sententias, eluctari feliciter contingat; illud potius, animum ad scribendum appellens, mearuni esse partium reor, vt penes quam sententiam stet veritas intelligam adstruamque ac deriuem, quæ veriora mihi videntur, ex solidis ac indubiis naturalium Legum argumentis.

quæ porro  
explicatur

§. II. Legatos non subesse Iurisdictioni Rerumpublicarum & Imperantium, apud quos Legationem obeunt, non ab illis puniendos, nec compellendos ad officia quæ alii debent, ast remittendos, adeum qui misit Legatos, vt ille de iis statuat, illud vero GROTIUS & plerique alii, qui de Legatis eorumque Iuribus & Iudice commentati sunt, existimant; Profecto multum operæ in stabienda afferendaque Grotii sententia videntur collocatiisse BYNKERSHOEKIVS,

(\*) De iure belli & pacis Lib. II. Cap. XVIII. §. I. & II.

(\*\*) De Iudice competente legatorum Cap. III. §. XI. - XII. & Cap. XXIV. §. X.

(\*\*\*) Quos vide apud. Illustr. Dn. THOMASIVM in iurisprudentia divina Lib. I. Cap. II, in nota ad §. 106.

VSVI FVTVRA EXHIBENS.

XIVS, (\*) STEPHANVS CASSIVS, (\*\*) WIQVE-  
FORTIVS, (\*\*\*) FRANCISCVS ALBERTVS  
PELTZHOFFERVVS (\*\*\*\*) RICHARDVS ZOV-  
CHEVS. (\*\*\*\*\*) Professor quondam Oxoniensis.  
BARBEY RACIVS (\*\*\*\*\*\*) aliquie; quos vero &  
reliquos GROTHI sententia addictos v.g. VLRICVM HV-  
BERVM (†) CÆSARINVM FÜRSTENERIVM (††) sub quo  
nomine illustris quondam LEIBNITZIVS latere voluisse  
creditur (referente CASSIO Sejt. I. §. 7. de iudice legato-  
rum) taceo. Siquidem illos pleniori calamo recensue-  
runt STRUVIVS (†††) & BYNKERSHOEKIVS. (††††)  
Etsi vero plerosque idem de Iuribus & Indice Lega-  
torum cum Grotio sentire videoas, non desunt tamen  
qui diuortium ab hac Grotii sententia fecerunt. Le-  
gatos omnes, Imperantium ad quos missi sunt, iurisdi-  
ctioni vel criminali solum vel etiam ciuili obnoxios  
existimantes; in priorem censem venire, ANTONIVS

A 2

de

(\*) De Iudice competente Legatorum; qnem librum gallico ser-  
mone donatum sub Titulo *Traité du juge compétent des  
ambassadeurs tant pour le civil que pour le criminel* in lu-  
cem misit Ioannes Borbeyracius antecessor Groningensis  
an. MDCCXXXIII.

(\*\*) Indiatrice de Iure & Iudice Legatorum prodit Francofurt  
an. MDCCXVII.

(\*\*\*) Dans son Ambaſſadeur.

(\*\*\*\*) In Arcanis Status lib. IV. §. 10. 13. & 14.

(\*\*\*\*\*) In solutione questionis veteris & nouæ sine in Diff. de  
legati delinquentis iudice competente; que prodit cum  
notis Christiani Henelii Coloniæ ad Spreum MDCLXIX.

(\*\*\*\*\*\*) In notis ad Puffendorfium Lib. VIII. Cap. IX. §. 12. &  
in notis ad Grotium non ita pridem Gallice editum.

(†) De Iure publico.

(††) De Iure Suprematus principum Germanicæ.

(†††) In Bibliotheca Iuris.

(††††) Cap. XXIV. de Iudice competente Legatorum.

4 CAP. I. PRINCIPIA IN SEQVENTIBVS

de VERA (a) videtur, in posteriore FELIX de OLI-  
VA (b) FRIDERICVS de MARSELLAER (c) & il-  
lustris quondam cocceius. (d) Quam ego sen-  
tentiam quum grauissimis rationibus & præ aliis  
ponderosioribus inniti sim persuassissimus, operam,  
quantum per vires infra mediocritatem positas lice-  
bit, dabo, vt ex solidis eam principiis deducam de-  
riuemque. Quia vero rationibus pugnandum est  
non exemplis, vt parcus in iisdem sim, e re mea  
esse duxi, eam etiam ob rationem cum plena manu  
in omnibus de Iuribus & Iudice Legatorum com-  
mentatoribus hæc congeta reperiantur mihi bre-  
uitatis studium sit commendatissimum; Illud a Le-  
gatore beneulo, antequam rem ipsam adgredior,  
mihi expeto, vt primitias academicas, vt iuueniles  
conatus, vt tenuem hanc leuemque opellam æqui-  
bonique consulat; DE VS autem supremus rerum  
omnium studiorumque moderator adsit scribendis.

§. III. Pono in principio Fines esse, quos omnes res-  
publicæ intendunt, salutem earundem & securita-  
tem; quæ in eo potissimum consistunt, vt quibus  
liber in republica felicem agere vitam & a metu bel-  
lorum læsionumque immunibus esse contingat;  
ad quam mul-  
ta media fa-  
ciunt. ac inter hæc non postremum sibi locum vindicent,  
Quumque multa ad hunc finem obtainendum faciant,  
integra alterius reipublicæ cum altera commercia,  
compositiones bellorum, fœdera aduersus minantes  
crescen-

- 
- (a) Dans son parfait ambassideur Lib. I. Sect. 45.  
(b) De foro Ecclesiæ parte III. Quæstione 12. num. 16. & seqq.  
(c) In Legato.  
(d) In Dissertatione de Legato sancto sed non im punio.

VSVI FVTVRA EXHIBENS.

crescentium rerum publicarum potentatus, cum aliis inita; amicitiae Principum regentium, & id genus alia; Cumque exploratae veritatis sit, quae aliquid conferunt ad salutem publicam, ea omnia curæ cordique esse rebus publicis debere; consequitur ut bellorum compositiones, foedera, commercia, sint summa ope & studio a publicis rebus earumque moderatoribus promouenda.

§. IV. Quæ vero vt rite, ac quemadmodum salutis Interqua-  
publicæ interest, succedant, vt commercia inter res-  
gationes  
publicas farta teatque conseruentur, & lætiora  
subinde incrementa capiant, aut lapsa pristino splen-  
dori restituantur, vt sopianantur bellorum gliscentes  
flammeæ, vt ineantur foedera immunes ciuium ani-  
mos a metu vicinorum potentiæ redditura; cum  
vacare his rebus non ipsimet Principes semper pos-  
sint; consultissimum æque est ac necessarium, cer-  
tos inuicem & idoneos homines legari, definita in-  
structio potestate, ad concludendum de rebus ad  
salutem publicam pertinentibus, v. gr. de stabilien-  
do prouti par est commerciorum inter respublicas  
ordine, de pace, de ineundis foederibus &c. Idem  
fieri opus est, nimirum vt idonei inuicem homines  
ablegentur, quando mutuas ac propensas Impe-  
rantium voluntates conseruari conuenit, qui aliis  
imperantibus nomine sui Principis, quæ ex hu-  
manitate proficiscuntur officia, persoluant, certis  
cærimoniarum solennitatibus defuncturi; exteris  
principibus felices rerum euentus gratulaturi, & id  
genus alia. Cumque soleant etiam a Principibus  
mitti, qui priuatas ipsorum res apud alios principes

A 3

vel

6 CAP. I. PRINCIPIA IN SEQVENTIBVS

vel res publicas agant v. gr. qui nomine suorum principum matrimonia contrahant, pecunias accipiunt. &c. illud ex his omnibus intelligitur si quid concludendum est alteri Reipublicæ cum altera aut Principi cum altero negotii; quia non ipsi Principes aut moderatores rerum publicarum his rebus operam omni tempore impendunt; tunc esse ut idonei ab alterutra parte, ad alteram homines mittantur necessarium & consultissimum.

Definitio Legati.

§. V. Eiusmodi vero homines Principum vel rem publicarum nomine ad alias res publicas vel principes missi: LEGATORVM (\*) veniunt Titulo; quare efficitur, vt Legatus sit persona publico reipublica vel priuato Principis nomine apud aliam rem publicam vel prin-

(\*) Varia est apud veteres vocis legati acceptio, nam. & usurpatur (I) pro iis qui exercitibus praerant: interque hos qui Principis sive Imperatoris partibus in administrandis bellis regendisque exercitibus fungebantur Legati consulares dicti; vti illi Praetorii & legati Legionum qui singulis Legionibus praefecti; confer Tacitum Agricolam Cap. VII. & Lipsum, in II. annalium Taciti praecipue de militia Lib. II. Dial. XI. Etiam eos Legatos dicebant, qui proconsulm prouinciarum absentium vices gerabant; & iuris dictione vicaria vtebantur, vid. L. XIII. D. de officio proconsulis & L. I. §. I. de officio eius cui mandata est iurisdictio, Noodtum in comment. ad pandet. h. t. Hanc Legati vocis acceptiōē confirmat C. Nepos in vita Attici Cap. VII. vbi Multorum consulūm prætorumque inquit, præfecturas delatas sic accepit ut neminem in prouinciam sit fecutus, qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam cum opid eum LEGATI locum obtinere possit. Accipitur tamen vox Legati etiam eodem sensu ac usurpauit: Ita Cicero ad Atticum Legatos cum auctoritate mittere inquit & Livius. Legatos mittere

VSVI FVTVRÆ EXHIBENS.

principem certa negotia tractandi potestate instructas  
Fluit ex hac definitione (I) non Legatos solum  
apud exteris gentes ea agere quæsalutis reipu-  
blicæ ipsorum intersunt, sed curare etiam priuatas  
principum res vide (§. IV.) deinde (II) quia ob  
certum finem mittuntur Legati ut nimirum ali-  
qua principis aut publico nomine negotia tractent,  
qui finis *causa* mittendi dicitur, facile, existimio, est  
ad intelligendum sub voce *Legationis & Legatos comi-*  
*tesque ipsorum & causam* mittendi comprehendendi &  
(III) Legatos esse Ministros publicos quia publica ne-  
gotia tractant, publica autem negotia sunt quæ con-  
cernunt salutem & securitatem Reipublicæ. Cæte-  
rum non omnes Legati mittuntur; sed solent etiam  
interdum commorantibus in republica, ad quam  
fungi Legatione debent, negotia aliqua expediendi,  
a Principibus & Rebus publicis potestas demandari.  
Quod Principi Radziuilio anno 1633. in Hollandia  
aliisque factum. (\*)

§. VI.

*mittere de pace, &c. ad quæ confer L. VIII. & XVII. Lib. I.*  
Tit. VII. D. de Legationibus. Ceterum illud moneo Legatos  
olim oratores appellari solitos fuisse ut ex Virgilii Æne-  
dum lib. II. colligere esf. Centum ORATORES inquit ibi Æne-  
as. *Augusta ad mænia Regisire iubet*; vid. Festum & Varron.  
lib. VI. de LL. Qua vterius de vocis Legati apud ve-  
teres acceptione dici possent vid apud PRESERVAM; (quem  
Barbeyracius in notis ad Bynckerthœckium Cap. I. §. III.  
HENNINGVM esse putat) de Iure Legationis statuum Im-  
perii §. 38. Stephanum CASSIVM scit. II. §. 25. aliosque  
Hodie Legati Ambassadeurs. AMBASCIATORES, dicuntur  
quam vocem origine Hispanica esse deductam. ab embior  
quod mittere significat. arbitratur PRESERTA §. 42.

(\*) Confer Stephanum CASSIVM in diatribe de iure & iudice Le-  
gatorum Scit. II. §. 25.

8 CAP. I. PRINCIPIA IN SEQVENTIBVS

Divisio lega-  
torum in

Plenipoten-  
tiarios,  
ordinarios,

Extraordi-  
narios.

Cum Carakte-  
re repreſen-  
tatio.

§. VI. Quia vero omnes Legati, aut concludendi quæ ad salutem Reipublicæ pertinere videbuntur publico nomine, aut priuata Principum negotia tractandi potestate instructi sunt per §. 5. ideo Legatorum differentiae ex discrimine concessæ potestatis deriuandæ sunt; (I) Potestas illa vel *limitata* esse vel *illi-  
mitata* potest; Qui *illimitata* gaudent potestate, i. e.  
libertatem tractandi §. concludendi plenam habent;  
dicuntur *Plenipotentiarii*; vnde Plenipotentiarii no-  
men non honoris est sed potestatis. (II) Vel est ge-  
neralis vel *particularis*; generali ad concludenda §.  
agenda negotia varia potestate instructi, illos ordinarios  
appellare in mores iuit, notantibus BYNCKERSHOE-  
KIO (\*) FVRSTENERIO (\*\*) aliisque. Ac quam eius-  
modi Legati, longiori ac alii tempore soleant in re-  
publica ad quam missi sunt, commorari, etiam *as-  
fiduas hq's vocant legationes* quibus id nimirum simul  
negotii datum est, vt nequid ibi detrimentosi decerna-  
tur aduersus salutem publicæ rei, cuius nomine Le-  
gatione funguntur, current, caueantque. Extraordi-  
narii (\*\*\*) dicuntur *Legati*, qui *particulare negotium*  
*Reipublicæ aut Principis nomine gerunt*, aut ad cer-  
tum actum expedientum mittuntur.

§. VII. Exinde quod Legati Reipublicæ aut Princi-  
pis negotia gerunt, conficitur vt sint rerum publica-  
rum & Principum a quibus mittuntur, mandatarii;  
Cumque ea agant, quæ ad resplicas & principes per-

(\*) Cap. I. §. 3. de Iudice Legatorum

(\*\*) De Iure suprematus principum Germaniæ Cap. VI.

(\*\*\*) Confer. Bynckershoekium & Fürstenerum l. c. & Pres-  
beutam.

VSVI FVTVRA EXHIBENS.

9

pertinent, abque ipsis forent expedienda & cum in tractandi commissa negotia potestate similes reipublicae aut Principe a quo missi sunt, habeantur; ideo aliqua ratione omnes Legati rempublicam & Principem representare, dicendi sunt. Ast qui cærimoniarium solennitatibus Principum nomine funguntur; v. gr. solennes nuptiarum ritus celebrant, ad solennia funebria, baptismalia comparent, nomine Principum: illi, cum peculiari ratione partes Principum suorum agant; soli dicuntur representare Principis personam, & fulgere, Charactere representatitio. Habeo auctoritatem FÜRSTENERII qui Cap. VII. qui ad obeunda solennia, inquit, funebria, nuptialia, baptismalia, ad praestandum hominum ad coronationes aliasque publicas cærimonias veniunt, ut illum ad quem aut a quo mittuntur presentia sua honorent atque interueniant. Illos personam Domini representare consentaneum est i. e. eo in loco collocari qui Domini esset & illis honoribus affici qui Domino haberentur quoisque scilicet ratio Ministrum Domino succedere patitur; unde ratio fluit cur qui ab Electoribus ad coronationem Imperatoris Legati mittuntur charactere fulgere representatitio soleant. Hinc postea FÜRSTENERIVS Characterem representatitum definit, ius fruendi iisdem honoribus, quibus frueretur is qui representatur, si presens esset, in quantum fert ratic aut consuetudo. Et profecto qui representare alium debet, in quibus ipsum representat; in iisdem similis illi sit oportet; Quare cum Principibus ac Imperantibus, celebriores honorum cultus ac ipsorum ministris deferantur; vt actus & solennitates, ad quas obeundas mittuntur Legati cum Charactere

B

gere

10. CAP. I. PRINCIPIA IN SEQVENTIBVS

*Ere representatio*, efficiantur illustriores, & idem fit ac si ipsorum Domini solennibus interuenirent, iisdem ac illi frui honoribus solent; Hinc vero elucescit (I) in quibus non repräsentant & in quibus non similes Domino haberi possunt, in iis nec Legatos gaudere Charactere repräsentatio: (II) nec a mittente solum, vt hoc Charactere insigniti sint Legati dependere, sed ab eo etiam ad quem mittitur Legatio, vt eo iure fruantur, esse concedendum; vti vberius infra expositurus sum. Atque ex his ratio repetenda est limitationis quam FÜRSTENERIVS addit in quantum fert ratio & consuetudo, fert autem ratio vt repräsentent Dominum, in quantum similes esse ipsi possunt, aut idem est, ac si adesset ipse, qui misit eiusmodi Legatos, Princeps; & consuetudo, quoisque Legatos hoc iure vti, respuplicæ aut Principes ad quos veniunt, patiuntur, aut pati consueverunt. Ex quibus, quæ de Charactere Legatorum repräsentatio dixi, omnibus infero errare STEPHANVM CASSIVM §. 26. & seqq. Sect. II. de Iudice Legatorum, omnes Legatos *Maiestate* Reipublicæ insignitos deprædicantem; quomodo enim, qui in aliis quibus saltem principem aut rempublicam repräsentant, illi maiestate pollerent? qui repräsentat non is est qui repräsentatur, sed similis illi habetur tantum, nec vero in omnibus ast in quibus repräsentat. Quomodo maiestatem competere Legatis diceremus, cum & iure & potestate regendæ reipublicæ; in quibus maiestas consistit; destituantur? Et condonandum hoc CASSIO esset, si fictio saltem nomine maiestatem præ se fere reipublicæ aut Principis Legatos arbitraretur; nam qui finguntur Maiestate

VS VI FVTVRA EXHIBENS.

iestate insigniti esse, reuera non sunt; Ast & hoc negat increpans GRO TIO quod fictionem eiusmodi admiserit: defendit autem GRO TIVM. BARBEYRACIVS (\*) Nec mirum inde Stephanum CASSIVM falsissimum sibi de Charactere Legatorum representatio conceptum formauisse quem quisquis facile, qui §. 35. Sect. II. CASSII cum disputatis in hoc paragrapho con ferre voluerit, animaduerteret.

§. VIII. Qui mittuntur Legati cum Charactere Maiores & representatio, illi maiores seu primi ordinis vocantur minores. notante FÜR STNERIO (\*) & PRES BEVTA (\*\*) ut minores seu secundi ordines qui eiusmodi Charactere destituuntur. Porro distinguuntur Legati ad iectio honore (\*\*\*) in Ambassadeurs & Envoyes Gesandten Abgesandten: Ambassadeurs illi sunt qui in eminentiori dignitatis gradu apud mitentes constituti sunt; & proinde ac alii habentur honorificentiores. Reliquas, quæ inter Legatos solent annotari, differentias cognituros ad auctores, qui de his commentati sunt, ablego; mihi sufficit eas euoluisse quæ vsui erunt in sequentibus futuræ; Illud moneo quia Legati Reipublicæ aut principis negotia apud alium Principem aut rem publicam agunt per (§. IV. & V.); exinde consequi, vt nec Commissarii, quippe iurisdictionem eius a quo missi sunt non egridentes, nec agentes qui priuata priuato rum

B 2

(\*) In notis ad Bynckershoekium de foro Legatorum §. I.  
Cap. VIII.

(\*\*) Cap. VI. pag. m. 26. de iure suprematus.

(\*\*\*) De iure Legionis principum Germanie §. 47.

(\*\*\*\*) Vide FÜRSTNERIVM cap. VI.

12 CAP. I. PRINCPIA IN SEQVENTIBVS

rum negotiagerunt, nee de legati subditorum ad principem &c. sint Legati appellandi.

Instructi sunt  
legati

litteris cre-  
dentialibus

instructioni-  
bus

litteris salui  
commeatus.

Qui mittere  
legatos pos-  
sint.

§. IX. Cum Legati sint rerum publicarum & Imperantium mandatarii (§. VII.) necesse est, ut quounque extendere se debeat eorum tractandi negotia potestas; quæque agenda ipsis sint & concludenda prescribantur Legatis; nec non ut litteras accipient, quibus se missos ad hæc vel illa expedienda negotia, a Republica, quam nominant, Reipublicæ ad quam mittuntur, probent; Eiusmodi litteræ, vocantur, *credentiales* quæ proinde sunt litteræ a Legatis, Imperantibus aliis Reipublica ad quam mittuntur trædendæ, quibus & ob qua negotia expedienda & qua cum potestate, & qui legatus missus sit, indicatur; Quare qui litteras credentiales suo nomine accipiunt, sunt Legati & vice versa; In quibus vero quæ agenda legatis sint & concludenda ipsis prescribuntur, illas *instrunctiones* appellant; Quæ proinde Legatis sunt regule agendorum & concludendorum. Cumque ad expediendam Legationem vt securi in Rem publicam intromittantur transantque Legati opus sit; expetere solent & consequi litteras fidei publicæ seu liberi commeatus, quæ ipsis & bonis ipsorum præstant securitatem liberumque aditum.

§. X. Legati vel publica Reipublicæ vel priuata. Principis negotia tractandi potestate instructi sunt, (§. IV. & V.) nam vel concludunt de pertinentibus ad salutem & securitatem suæ reipublicæ cum exteris, vel cærimoniarum solennibus funguntur, & id genus alia expedient. (§. IV.) Quæ vero potestas cum demandari ipsis concedique nisi ab eam possidentibus nequeat, elucescit mitti, legationes non posse nisi

nisi a Principibus & Imperantibus Rerumpublicarum. Et quia regale ius est quod ex summa regendae Republicæ potestate descendit, ideo omnes illos Legatos, qui publica Republicæ negotia apud exterorcurant, mittendi ius inter Regalia referendum est. Quare, qui mittuntur priuato principum nomine, non illi quidem legari nisi a principibus possunt, cum tamen non mittantur vi summæ illius regendæ reipublicæ potestatis, illos mittendi ius non regale est; Interim ex dictis illud patet, cum principibus Imperii R. G. omnibus regalia competant; illis ius mittendi Legatos esse nequaquam denegandum. Egregiam in hoc adstruendo Principibus Imperii iure operam posuerunt C V L P I S I V S, (\*) P R E S B E V T A, (\*\*) F Ü R S T E N E R I V S, (\*\*\*) & illustris Fridericianæ Cancellarius de L V D E W I G. (\*\*\*\*)

S. XI. Causam mittendorum & accipiendorum Legatorum salutem esse Rerum publicarum & securitatem existimo (§. III. & IV.) & fusius Cap. III. euinciam; admittere autem Legatos est, liberum ipsis adiutum in Rerumpublicam ad quam missi sunt, concedere ac audire que in mandatis habent; proutiex communiloquendi ratione satis illud & abunde elucefecit; Accum non impediendæ sint Legationes nec legati lædendi, hinc est quod sanctum sit populis nomen Legati; hinc est quod hostium etiam Legatos sanctos qui sanctus;

B 3

&amp; in-

Quid sit ad-  
mittere lega-  
tos

(\*) De Legationibus statuum Imperii.

(\*\*) De iure Legationis statuum Imperii.

(\*\*\*) De Iure Suprematus ac Legationis principum Germaniarum acdem Leibnitzius dans l'entretien de Philaret & d'Eugene touchant le droit d'ambassade des Electeurs & princes de l'empire.

(\*\*\*\*) De Iure allegandi ordinum S. R. I.

14 CAP I. PRINCIPIA IN SEQVENTIBVS.

& inuiolabiles prædicemus; *Sanctus ergo & inuiolabilis, qui immunis ab omni laſtione eſſe debet;* dicitur. Hæc autem pluribus Cap. III. euincentur.

Definitur Ius  
& indicantur  
Iura quædam  
legatorum.

§. XII. Et cum ius (\*) hic accipiendo sit pro facilitate seu libertate quædam agendi; hinc intelligitur omnia quæ Legatis licent eſſe inter iura ipsorum referenda; Conſequitur ex his (I) quia Legatis admissis concessum eſt, quæ in mandatis habent, expoñere, (§. XI.) vt ius ipsis competat, omnia sibi amittentibus commissa dicendi, etiā minus accepta eſt fint Imperantibus ad quos missa eſt Legatio; deinde (II) tractandi res & negotia ad ſalutem & ſecuritatem Reipublicæ a qua mittuntur pertinentia; Siquidem ea potestate instructi ſunt. (§. V.) Porro (III) omnia, quæ ipsis debentur officia postulandi. Nam licitum nē ſit, officia ad quæ quis erga me Legibus obligatur, vt præſtet contendere? Sic tenentur omnes ad dænum datum resarcendum; si quis igitur legatum lœſit, an non ius ipsis competat, vt quod ipsis dænum datum eſt, illud resarciatur, contendendi? ita quidem ſentio, quamuis non idem aliis videatur; quippe ex ſolo pacto eiusmodi ius descendere existimantibus; Cum itaque diuersa erga alios officia ex diuerso eorum, in quo conſtituti ſunt, ſtatu dependeant (\*\*) euidens eſt, Legatis tanquam

(\*\*) Varios vocabulum *iuris significatus* ſubit nam vel pro lege ſumitur; vel Romanis pro loco vbi prætor ius dicebat; ſed cum hæ acceptio[n]es nihil ad rem meam faciant ſtudio eas pretermiſſi.

(\*\*) Nam alia v. gr. Principi alia Patrifamilias; alia conciuibus debentur officia vnde vero hæc diuersitas niſi ex diuerso eorum ſtatu?

quam Legatis alia deberi; quam quæ aliis non Legatis persoluenda sunt officia; Quapropter quoniam ledere aliquem significat *agere contra debita ipsi officia*; Legatos alia & diuersa ratione, ac alios esse violabiles elucescit. Tandem moneo, de iuribus Legatorum commentaturis; & in eo collocandam esse operam; vt in officia quæ Legatis præstanta sunt, inquirant; nam ex iis quoque iura proficiunt eorum; dedi euictum.

§. XIII. Quamuis vero inuiolabiles Legatos, & sanctos dixerim (§. XI.) cum ea tamen sanctitas nihil inuioluat nisi ab omni læsione immunitatem; (§. cit.) in eam sententiam adductus sum, subesse omnes Legatos Reipublicæ, ad quam missi sunt, & illius imperantium iurisdictioni; hæc vero in Capitibus seqq. luculentius exponam. Definiendum nunc *quid Index sit quid iurisdictio; Iudicem esse ponere, cui, de quorundam actionibus secundum leges iudicandi, & iudicatum exequendi ius competit; siue cum illud ius iudicandi & exequendi iurisdictio dicatur, qui iurisdictione gaudet;* Evidem non sum nec scio longe aliam Romanis fuisse iurisdictionis & iudicis acceptiōē: Qui enim cum sub iurisdictione saltem ius cognoscendi & statuendi in causis ciuilibus intelligerent; vti ex Lege III. Tit. I. Lib. II. ff. apparet, inde factum est vt *ius iudicatum exequendi in causis ciuilibus seu mixtum imperium adiunctum esse iurisdictioni diceretur, Magistratibus autem qui iudiciis prærant, hæc iura competebant quæ iudicibus tribui.* Inter enim quatuor Magistratum iura apud Romanos ius imperandi & iuris dicundi referri solitum fuisse docent Celeberrimus HEINEC-

Definitur Iu.  
dex & Iuris-  
dictio.

crys

16 CAP. I. PRINCIPIA IN SEVENTIBVS

CIVS ICtus nunc Belgicus (†) & GERH. NOODT (††)  
aliique. Iudices autem de facto dispiebant vtrum  
actor actionem suam, an reus exceptionem possit  
demonstrare, nisi forte *Iudex Questionis* sive *Prin-*  
*ceps Iudicu*m, vti vocatur Asconio pædiano, exci-  
piendus sit, qui de iure quoque cognouisse videtur.  
Siquidem partes Prætoris vel absentis vel nimis oc-  
cupati agebat annotante Celeberrimo HEINEC-  
CIO. (†††) Quæ omnia quamvis ita sint, malui  
tamen definitionem dare loquendi vsui conformem  
quam veterum hujus vocis acceptonibus vti; quo-  
modocunque enim res se habeat; & cui iudicandi  
de actionibus quorundam secundum leges & iudi-  
catum exequendi ius competit, *magistratum* aut  
*Iudicem* appelles, nihil refert; dummodo quod, in  
me recepi, euincam, nimirum adscribendum esse  
imperantibus, ad quos missi sunt *Legati*, ius de eo-  
rum actionibus iudicandi & exequendi iudicatum.

§. XIV. Cum *causa ciuiles* mntua ciuium offi-  
cia concernant, hinc ex data (§. 13.) definitiope pa-  
tescit illum esse *ciuilem iudicem*, cui de officiis qua si-  
bi ciues inuicem debent; debenturque *iis*, iudicandi  
& exequendi iudicatum *ius competit* i. e. *contradicen-*  
*tes* compellendi ad *præstanta* quæ alis debent, *officia*; vti  
*Criminalis* dicitur qui *statutis* *pænis transgressores* *Le-*  
*gum coercendi ius* *habet*; ex quibus quid *forum* sit  
*ciuile* quid *criminale* facile est ad *intelligendum* no-  
tantibus *forum* dici *iudicium* in quo de *conformatitate*  
& *dis-*

(†) In parte II. Syntagmatis Antiquitatum Romanorum Lib. IV  
Tit. VI. §. V.

(††) Do Iurisdictione I. 3. p. 123.

(†††) Lib. IV. Tit. XVIII. §. XV.

*& disconuenientia ciuium actionum cum Legibus disquiritur: hæc autem pluribus suo loco: Competens iudex intuitu eorum audit de quorum actionibus secundum Leges iudicandi & exequendi iudicatum iure gaudet.*

§. XV. Atque vero, quod Legati Imperani. Ex quo iure tium, ad quos, missi sunt, iurisdictioni obnoxii sunt, decidi debeat illud ex indubio Naturæ Legibus aggrediar euictum da- quæstio de iuribus & iure & ex iure publico uniuersali, quod iura principum, dice competente legato- quæ ex summa regendæ Reipublicæ potestate ipsis rum competenti descendunt, exponit; Evidem negat BYNCKERSHOEKIVS (\*) cum GROTIUS (\*\*) pe- tendam esse, iurum, quæ Legatis competunt, & iudicis eorum competentis, quando in Republica, ad quam missi sunt, commorantur; ex Naturæ Le- gibus decisionem; ius aliquod Gentium diuersum a Naturali & voluntarium sibi fingens quod ex moribus Gentium deriuandum sit, ac ex quo demum debeat problema hoc euolui; negat ab alio quam hoc voluntario iure principum iura in gubernandis rebuspublicis dependere, persuasus quemadmodum consuetudines in quauis republica iura seu Leges faciant, ita etiam mores gentium. Ast nituntur hæc omnia, quod pace illustris Viri dixerim; infir- refutatur Bynckershoekius. mo talo: Siue enim ius Gentium pro Legibus quæ gentes obligant accipiatur, siue pro libertate quadam agendi Gentibus competente; vti supra (§. 12.) Ius definitum a me est: quomodo mores inter Gentes

C

visitati

(\*) De Iudice competente Legatorum Cap. XXIV. §. X. confit Cap. III. §. XI. & XII.

(\*\*) De iure belli & pacis Lib. II. Cap. XVIII. §. I.

18 CAP. I. PRINCIPIA IN SEQVENTIBVS

vstatu eiusmodi diuersum a natureli ius efficiant? Lex norma dicitur. Secundum quam quibus ea prescripta est, suas instituere actiones obligantur; obligationes autem certissima pœnarum & præmiorum actiones aliquas indubie consequentium representatio- nis, i.e. efficaces ad volendum & non volendum ratio- nes constituant; (\*). Iam vero mores Gentium nec pœnas nec procernia cum actionibus connectunt, adeoque nec obligant nec leges faciant, quod erat primum: ac consuetudinum in quavis Repu- blica ratio est multo diuersissima quod enim illæ ius non scriptum constituunt, dependet a tacito Imperantium consensu, & quod, qui secundum eas non agunt, illi potenti manu adducuntur a Iude; ast tacita Principis approbatio inter Gentes vbi? vbi est qui compellat ad viuendum secundum receptos mores? (\*\*). Quando mores Gentium liber- tatem aliquam agendi efficere dicuntur, nec tunc il- ludius Gentium differt anaturali: Cum enim omnes gentes Naturæ Legibus obligentur, ac nulla ipsis liceant quæ sunt contra has Leges; efficitur ut mores Gentium non possint quædam agen- di licentiam introducere, quæ repugnant Naturæ iuri; & quæcumque agere liberum est gentibus, ea con-uenire cum Iure naturali debeat. Sunt qui pæna in- ter gentes inita pro iure Gentium diuerso a naturali habent,

(\*) Vid. Dr. FLEISCHERI Ius Nat. & Gentium Cap. V. Lib. I. §. 13. 14.

(\*\*) Confer Illustris Fridericianæ Directoris THOMASII Iuris prudentiam diuinam Cap. II §. 103. - 110. & Dr. FLEISCHERYM Cap. V. §. 110, usque ad finem Capitis.

habent; ast qua ratione? Nam *valere pacta* tunc demum dicuntur, quando, qui ea iniuerunt; ad ea adimplenda obligantur; Cumque hinc quæ contra naturales aut ciuiles leges inita sunt pacta; prorsus omni validitate destituantur; consequens est, vt exessentia *pacti* nulla fluat obligatio, alias enim & pacta illicita valerent (*pactum* mihi est *promissio* & *repromissio*) sed quod pacta valeant, illud dependeat a naturali & ciuili obligacione; vnde quando pacta inita inter gentes esse valida debent, cum vt conueniant cum naturæ legibus necesse sit, non diuersum aliquod Ius gentium a naturali efficiunt. (\*\*\*) Elucescit ex his omnibus contra BYNCKERSHOEKIVM disputatis, cum adeo falsa innitantur hypothesi, quæ de iuribus Legatorum & iudice competente BYNCKERSHOEKIVS & GROTIUS in medium proferunt, quam eadem esse falsa & parui momenti debeant; id quod Capite vltimo exponam euidentius: Mecum sentiens Stephanus CASSIUS (\*\*\*\*) qui exemplis & moribus Gentium rem confidere intendant, eos existimat inter contraria fluctuare, incertoque iactari pelago; innocuos in æra iactus vibrantes more andabatarum; Ego vero vt diëtis fidem faciam probatur nunc sum ex nullo alio quam Iure Naturæ ad gentium negotia applicato & publico vniuersali petendam esse iudicis Legatorum competentis decisionem, iura autem eorum ex ciuilibus etiam Legibus aliquantum dependere.

§. XVI. Principio certum est & exploratae veritatis, nulla licere Legatis quæ sunt contra naturæ

C 2 Probatur Iu-  
leges, raLegatorum  
decidenda

(\*\*\*) Vid. Illustr. THOMASI Iurisprud. divinam Lib. II. in notis ad §. 106.

(\*\*\*\*) Indiatrabe de Iudice Legatorum Cap. I, §. 4.

20 CAP. I. PRINCIPIA IN SEQVENTIBVS

esse ex natu- leges, porro nulla quæ saluti & securitati aduersantur,  
ralibus & ci illius in qua degunt Reipublicæ; iam vero Leges ciu-  
uilibus legi- les salutem intendunt & securitatem publicam adeo-  
bus.

que quæ repugnant legibus ciuilibus, eadem sunt salu-  
ti aut securitati publicæ rei aduersa; ex quibus conse-  
quitur ut nulla agenda sint Legatis quæ Legibus Rei-  
publicæ, in qua commorantur, ciuilibus, con-  
tradicunt; quapropter, cum quæ in quavis publica  
re Legatis licent; ea aut conuenire cum legibus ci-  
uilibus aut contrariari iis saltem non debeant, atqui  
iura sint Legatorum, quæcunque agere ipsis licent;  
(§. 12.) inde palam fit alia iura legatis competen-  
tia suam habere rationem in legibus Reipublicæ, vbi  
degunt, ciuilibus: Deinde; quia nihil Legatis  
contra naturales Leges perpetrandum est; con-  
sentire potius omnes eorum actiones cum iis-  
dem debent, alia ipsorum iura ex his Legibus descen-  
dere; alia porro dependere ex concessa ipsis tractan-  
di potestate (§. 12.) quæ vero ex instructionibus,  
ac litteris, quas vocant, credentialibus (§. 9.) ad-  
discenda sunt.

Id quod por-  
ro confirma-  
tuſ.

§. XVII. Quod ad officia Legatis debita attinet  
& inde fluentia iura (§. 12.) ita argumentor. Cum  
quæ agere aut omittere Legibus obligamur ea offi-  
cia dicantur; ac penes quos supremum est regen-  
dæ publicæ rei arbitrium & potestas, illi non ciu-  
libus, sed naturalibus tantum legibus oblingentur,  
elucescit officia Imperantium erga legatos, ex sola  
naturali obligandi ratione esse repetenda. Idemque de  
officiis a rebus publicis debita legatis sentiendum.  
Quatenus autem Ius Naturæ applicatur ad negotia  
Gentium Iuris Gentium nomine venire affolet;

quare

VSVI FVTVRA EXHIBENS.

quare ex iure gentium petenda est officiorum, & Imperantium & rerumpublicarum erga Legatos euolutio. Subditorum vero cuiusque, vbitra&tandorum negotium causa commorantur, Reipublicæ erga legatos officia, tam Legibus illius publicæ rei ciuilibus, quam etiam naturalibus determinari quis dubitat? Illi enim tenentur & ciuali & naturali obligatione.

§. XVIII. Ad euincendum qui Indices Legatorum commorantium in republica, apud quam legatione funguntur, competentes sint; (illud enim intendo) necesse est euolui cuinam ius competitat, compellendi contradicentes legatos, vt officia aliis debita persoluant, puniendo legum transgressores. (§. 13. 14.) Quod vero ius in legatos, qui recepti sunt, Imperantibus adscribendum esse earum rerum publicarum, vbi negotia concredita legati expediunt, cum intelligatur ex iure regendi & gubernandi resplicas ipsis competente; (Confer. Cap. II.) atqui palam sit iura Imperantium ac officia erga publicas res, quibus præsunt, ex gentium iure proficiunt, conficitur profecto vt etiam explicari hæc de iudice competente legatorum quæstio ex immutabilibus iuris Gentium præceptis debeat.

§. XIX. Quibus præstructis, cum iam perspicue pateat, iura legatorum tam in naturalibus quam ciuilibus legibus fundari; (§. 16. 17.) itemque probatum sit iudicem legatorum competentem esse ex iure gentium euincendum (§. 18.); ita nunc pertexam, quam orsus sum, telam, vt sequenti Capite iurisdictioni imperantium, apud quos legationem ob-

eunt, obnoxios esse legatos demonstrem; *tertio iuria* perperam legis attribui solita & quæ iis re vera competunt proponam examinemque; ac *quarto* demum aliter sentientium rationes contiuitur. Dabo vero operam ut si non alia re, ait certe breuitate me Lectori commendem.

## CAP. II.

DE

IVDICE COMPETENTE  
LEGATORVM.

§. XX.

Qui impe-  
rant tenen-  
tur, ad appli-  
canda omnia  
salutem  
reipublicæ  
promouentia  
media.

**E**T verum est; ad promouendam, quam o-  
nes intendunt respublicæ, [§. i.] salutem  
& securitatem, id potissimum requiri, vt  
quæ ad hunc finem media faciunt, ea solicite omnia  
applicentur; *media enim finis consequendi rationes*  
*continent;* Imperantium vero est hæc agere, hæc  
in rebus i publicis, i quibus præsunt, exequi; Nam  
cum hunc in finem coeundum fuerit hominibus ac  
formandæ respublicæ, vt felicitatem, ad quam con-  
sequendam naturali quisquis obligatione ducitur, &  
securitatem coadunatis viribus faciliori negotio adi-  
piscantur; consequens profecto est; vt qui in res  
publicas convenerere omnes, quantum in ipsis est; ad  
obtinendum scopum salutis publicæ conferendum sit;  
Quia vero plerique eorum genio suo & affectibus in-  
dulgent, ac naturalem obligationem sunt qui intelli-  
gant

gant paucissimi; ideo ad naturæ leges accedere civiles debuerunt & opus fuere qui suprema instructi potestate per pœnas & proemia, per potentem manum ad officia debita quemuis in potestate eorum constitutum compellerent; ac applicarent ad salutem publicam omnia quæ ad eam media contendunt; & hi *imperantes* & *magistratus* in publicis rebus *superiores* dicuntur, suntque ideo ad promouendam reipublicæ salutem obligatissimi. Intelligitur hinc quod *regere rempublicam sit applicare ad salutem publicam promouentia eam media;* & *imperantes* appelluntur quibus ius competit & *suprema regendæ reipublicæ potestas.*

s. XXI. Cum itaque Principes & qui ad gubernacula sedeat reipublicæ, ad ea omnia teneantur potissimum sollicitis curis applicanda quæ ad stabiliendum faciunt publicum salutarem & securum statum, & vi oppositi adea auertenda penitus omnia quæ Reipublicæ mala imminent & portenduntur. [§. 20.] Ideo iure eos gaudere palam est omnibus utendi mediis quæ ad salutem tendunt publicam, amoliendique noxia eidem & aduersa (§. cit. & 12.) Iam vero exploratum est, noxia reipublicæ impendere ab iis posse qui in rebus publicis commorantur & etiam ab Legatis; & promoueri salutem publicæ rei si omnes degentes in ea & legati suas actiones ita instituant quemadmodum salutares sunt rei publicæ & ad securitatem illius consequendam accommodatae; vnde consequitur vt opera danda sit imperantibus ac illi iure gaudeant auertendi omnia quæ a commorantibus in terris eorum & Legatis quos receperunt, mala rei publicæ possunt impendere, atque ad id an-

Ergo iure  
gaudent  
auertendi  
quæ a Legatis  
noxia reipu-  
blice impen-  
dere possunt;  
& contenden-  
di vt illi salu-  
tem publi-  
cam promo-  
ueant.

nitendi ut suscipiantur a Legatis actiones quæ promouent salutem publicam.

Omnia media salutem publicam promouentia, quæ ab imperantibus applicanda sunt, debent esse in eorum potestate constituta & media quæ salutem publicam promouent ea omnia iusta sunt.

§. XXII. Quod autem ius imperantium, amodiendi quæ noxia imminent reipublicæ, & ad id contendendi ut qui in terris eorum commorantur, illi actiones suscipiant salutem promouentes publicam; ipsis in eos saltem, qui in terris sunt eorum dixi adscribendum esse; illud inde est; quia medii, non in ipsorum potestate constitutis uti nequeunt, nec quidquam imperantibus iuris aut potestatis in aliis ac cui præsunt, reipublicæ terris commorantes cōpetit; Cæterum moneo media quæ ad salutem tendunt publicam, *eadem esse iussimæ*, quoniam Legibus naturæ innituntur. Nam quum salus publica id postulet, ut qui ad rempublicam pertinent, illis felicem transfigere vitam & a bellorum læsionumque metu immunibus esse contingat (§. III.) consequens profecto est ut media ad salutem tendentia publicam ea esse intelligantur, quæ rationem continent felicis vitæ obtainendæ & immunitatis a bellis læsionibusque. Ac quia ad hos fines naturali quisquis obligatione ducitur (§. 20.) an fieri posset ut media ad eos consequendos comparata sint contra naturæ leges? ut iniusta haberi cum causa possint? nunquam id ego sentirem; siquidem quem naturæ leges ad finem consequendum obligant; eundem etiam ut applicet media ad finem ducentia obstringunt. Patet vero hinc falsam esse eorundem regulam, omnia ea media salutem promouentia publicam licita esse imperantibus affirmantium quæ simul iusta sunt; non enim dantur quæ ad hunc finem tendunt

dunt media iniusta; Si enim iniusta forent contrariarentur naturæ legibus, iam vero cum ad bene & feliciter viuendum, in quo salus publica consistit, pertineat ut naturalis obligationis rationibus conuenientes quisquis se gerat, conficitur ut media quæ promouere rerum publicarum felicitatem debent; non simul contradicere legibus naturalibus possint; nam quæ contradictant non promouent felicitatem ant salutem publicam, adeoque plane non sunt media.

S. XXIII. Ex quibus consequitur ut medium sit Legati naturali obligati tenentur ad pro. promouendæ salutis publicæ si suscipiantur a legatis actiones quæ faciunt ad hunc finem, & naturæ sunt Legibus conformes. Siquidem obligatur quisquis naturalis obligationis rationibus ut tendat, quantum in ipso est, saluis, quæ sibi debet officiis, ad proximi perfectionem & conseruationem, ergo etiam Legati ut Reipublicæ, apud quam legationem obeunt, ciuibus eadem officia persolvant; dum vero hæc agunt, promouent salutem publicam (§. 22.) Quare teneri omnes euident est, & inde quoque legatos ac quidem naturali obligatione ad agenda quæ Reipublicæ, in cuius terris degunt, promouent salutem & omittenda quæ noxia illi deprehenduntur. Proinde ius competit Rerumpublicarum, in quibus legati commorantur, imperantibus ad id annitendi ut his officiis legati & omnes in territoriis eorum degentes fungantur. (§. 21. & 11.)

S. XXIV. Quæ vero ut obtineantur: ut Imperantes anertantur quæ forsan reipublicæ a Legatis & degenribus in ipsius terris imminere detimentoſa poſſunt; Iure gaudent legatos adducendi ne læ- & ut ea peragant legati quæ tendunt ad publicam dant publi- salu.

eam salutem; opus est ut efficaces adsint rationes quibus com-  
sed ut eam mouentur ac adducuntur Legati ad promouendam  
promoveant; salutem publicam, & omittenda quæ aduersa sunt  
& detrimentosa Reipublicæ, in qua commorantur, salus & securitati. Quare impetrantibus,  
cum iure gaudeant omnia, quæ collineant ad salu-  
tem publicam media & quæ posita sunt in eorum po-  
testate, [§. 20. 21.] applicandi; opera danda est ac ius  
competit per efficaces rationes legatos adducendi ut  
ne lèdant salutem publicam, sed eam ut promoueant amplificentque.

Quare Ius  
eos obligandi  
habent.

§. XXV. Quum commouendi fint rationi-  
bus ad volendum & non volendum efficacibus: o-  
mnes qui in reipublicæ cuiusvis terris commorantur &  
Legati ut promoueant salutem publicam &  
nihil ipsi aduersarii moliantur [§. 24.] ac extra omnem  
dubitacionis aleam sit constitutum, nulla dari ad com-  
mouendum quam repræsentationes penarum aut  
proemiorum indubie statuendorum, media effica-  
ciora; ideo Legati & peñis absterendi sunt ut ne  
quid insidientur saluti publicæ, & ut eam promoueant  
proemiis allicendi aut etiam potenti manu  
adducendi. Iam autem per peñas & proemia com-  
mouere aliquem ad agendum quid vel omittendum  
aut adducere potenti manu, est obligare aliquem  
[§. 15.] (\*) Vnde patet obligandos esse Legatos ad  
omittenda saluti Reipublicæ in qua commorantur  
aut in quam admissi sunt, detrimentosa, & fusi-  
pienda quæ eam promouent; ac obligationes esse  
media

(\*) Confer. Dn. PRAESIDIS Ius Nat. & Gentium Cap. V. Lib.  
I. §. 13. 14.

media ad obtainendum qui [§. 21. 23. 24.] recensetur, finem accommodata. Quoniam itaque ius imperantibus competit, mediis, quæ ad hunc finem collineant, & posita sunt in eorum potestate, omnibus utendi (§. 24.) atque Legati recepti, in eorum potestate constituti sunt; consequitur ut imperantes ius habeant obligandi Legatos, simul ac omnes in terris quibus præsunt, commorantes ut ne quid suscipiant ad detrimentum publicæ rei vergens, sed illi potius, quantum in ipsis situm est, publicam salutem euehant in latius promoueantque (§. 22.)

§. XXVI. Qui obligat alios ad agendum quid Et ius legum vel omittendum simul ipsis normam, secundum ipsius præscribendarum. quam suas instituere actiones tenentur, præscribit; Qui normam præscribit & simul eam in agendo vel omissiendo obseruare obligat Legem fert: quare cum ius obligandi Legatos & omnes in terris quibus præsunt commorantes, imperantibus competitat §. 25.) facile existimo, est ad intelligendum cum hoc quo imperantes gaudent, iure connexum esse Ius Legum ipsis præscribendarum. Ast cum obligandi Legatos & alios in territoriis, quibus præsunt, commorantes i. e. in potestate eorum constitutos. (§. 22.) Ius, eatenus imperantibus adscribendum sit, quatenus obligationes media sunt obtainendæ salutis publicæ, quibus nimirum absterrentur Legati ne lædant publicæ rei salutem; vtque eam promoueant commouentur. (§. 25.) atque ad hæc officia naturali etiam obligatione Legati ducantur (§. 23.); queri posset cur accedere ad naturalem obligationem ciuilis debeat? Illud autem ex iisdem rationibus est ex quibus solet necessitas Legum ciuilium in rebus publicis

blicis præter naturales condendarum stabiliri (§. 20.)  
 Nam & ciuiles Leges, quia salutem omnes publicam habere pro fine debent, ita comparatæ sint necesse est, vt, qui in respublicas conuenerunt, eos ad ea obligent ad quæ iidem naturæ Legibus obligantur; Salus enim publica, vt quisque naturali obligationi convenienter se gerat, illud vero potissimum requirit & exigit. (§. 23.)

**Et obligandi**  
 vt omnibus  
 legibus rei-  
 publicæ ob-  
 temperent.

§. XXVII. Quum omnes itaque, quæ in rebus publicis feruntur, leges publicam intendere salutem debeant; exinde eiusdenti ratione sequitur; vt qui leges adhunc finem accommodatas transgrediuntur, i. e. contra eas agunt; simul agant contra publicam salutem, ac qui obtemperant eiusmodi legibus; eos demum salutem promouere publicam. Quare quia imperantibus ius legibus legatos vincendi; (§. 26.) obligandique eos ac omnes qui in eorum terris commorantur; i. e. pœnis & proemiis commouendi vt ne lèdant publicam salutem sed officia ipsi debita persoluant, (§. 23. 25.) vindicatum est, inde sponte sua fluit; iure imperantes gaudere legatos & in territoriis ipsorum degentes ad obediendum omnibus legibus ciuilibus, quæ latæ sunt ad obtinendum finem salutis publicæ, obligandi.

**Et exequandi**  
 pœnas.

§. XXVIII. Qui vinciri autem & obligari legibus debet; ille necesse est vt sit persuasissimus; pœnis, quas leges minantur, in se contra leges agentem certissime animaduersum, aut adactum se iri contradicentem potentι manu vt officia debita persoluat; aut etiam promissis se proemiis, si agat, quemadmodum leges volunt, potiturum. (§. 15 - 25.) Vnde consequitur; quando obligare intendunt imperantes,

perantes, legatos & degentes in ipsorum territoriis;  
vt, pœnas & proemia certo effectui datum iri, decla-  
rare debeant & notum facere potenti manu se illos  
compulsurum vt officiis persoluendis defungatur: Pa-  
tet porro imperantibus ius esse statutas in Legatos  
aliosque qui in eorum terris degunt legum trans-  
gressores pœnas exequendi. Non enim pœnæ essent  
media absterendorum legatorum ne quid insidia-  
rum saluti publicæ struant; inania forent pœnarum  
terriculamenta; nec obtinerent finem salutis publicæ,  
ad quem applicare omnia media, imperantes debent  
nisi ius imperantibus ipsis & potestatem competere  
exequendi statutas pœnas in legatos legum trangres-  
sores diceremus; idcirco ius hoc ideo imperantibus ad-  
scribendum est, quia omnia ipsis concessa sunt quæ  
faciunt ad salutem rei, quam regunt, publicæ (§. 20.)

§. XXIX. *Qui Legibus obligatur*; illum esse Et subditos  
subditum definio, adeoque omnis descendit *subiectio* sibi legatos  
ex obligatione? Evidem non sum nescius pleros-  
que in eam inire sententiam vt ex *consensu in paren-*  
*dum* subiectionem deriuandam firmiter putent. Enim  
vero cum in id omnes conueniant subditum esse in  
conditione parendi positum; vti loquitur incompa-  
rabilis G R O T I V S (\*) ac illustris T H O M A S I V S (\*\*);  
sane illud non parrere sine obligatione concipi nequit  
& sequeretur inde qui non consensit in parendum  
nec illum subditum fore, et si legibus obligetur. Por-  
ro si communem loquendi rationem consulamus

D 3

patebit

(\*) De Iure belli & pacis Lib. II. Cap. XXVI. §. I.

(\*\*) In Iurisprudentia diuina Lib. III. Cap. VI. §. 167. & Illustris  
G V N D L I N G I V S Cap. XXXIV, in Iurisprudentia na-  
turali.

patebit omnes illos subditos dici qui imperio regentium subiecti sunt; ast qui legibus obligatur ille demum regentium subest imperio. Atque sic quodquis fiat subditus, id immediate inde proficiscitur quia legibus parendum ipsi est; opponunt; qui eligitur imperans, in illum omne ius & potestas regendæ reipublicæ confertur a populo; adeoque omne quod habet ius obligandi, habet a populo, ac sic demum, quamuis ex obligatione descendat subiectio, primo tamen eam venire a consensu populi. Respondeo: (I) etiam occupationem esse modum acquirendi imperii quod probauerunt PUFFENDORFIVS (†) & ill. THOMASIVS (††) aliquie, deinde ex consensu populi hoc casu faltem est, quod competit imperanti ius obligandi, non tamen ipsa obligatio non illud ipsum quod obligantur, quippe quod inde descendit quia poenæ aut poenia cum actionibus quas leges iubent aut prohibent, ab imperante connexa sunt. (§. 15.) Quum ergo qui legibus obligatur subditus sit; ac competit imperantibus ius obligandi legatos & commorantes omnes in territoriis ipsorum (§. 25.) hinc apparet & ius iisdem adscribendum esse subditos sibi reddendi Legatos.

§. XXX. Ius itaque Imperantibus competit obligandi omnes in territoriis, quibus præsunt, commorantes, (§. 25.) h.e. poenis absterrendi ne quid insidentur saluti publicæ & statutas in transgressores Legum exequendi (§. 28.) ac compellendi contradicentes potentiam manu

(†) In maiore opere Iuris Nat. & Gentium Lib. VII. Cap. VII. §. 3.  
(††) In Iurisprudentia divina Lib. III. Cap. VI. §. 493. - 103.

Imperantes  
sunt iudices  
competentes  
legatorum

## COMPETENTE LEGATORVN.

31

thanu ad officia debita persoluenda. (§. 23. &c 25.) Qui pœnas exequendi in transgressores legum, qui compellendi contradicentes ius habet, vt officia, ad quæ Legibus obligantur, præstent, ille cum cognoscat, quæ sint actiones contra Leges commissæ, & ad quæ subditos officia Leges obligent, simul iure gaudet iudicandi de actionibus quorundam secundum Leges & exequendi iudicatum. (§. 13.) Quo circa patet Imperantes omnium qui in terris eorum com morantur esse iudices competentes. (§. 14.) Ea- Argumen tum I.  
 dem autem ratione euincitur Imperantes indices esse  
 & ciuiles & criminales & competentes Legatorum quos admiserunt in terras suas, siquidem & in eas legum transgressores pœnas exequendi (§. 28.) & compellendi vt officia ad quæ obligantur, persoluant, iure gaudent (§. 25.) iudex enim *civilis* est cui compellendi contradicentes ad officia; *criminalis* cui pœnas exequendi ius competit, & *competens*, intuitu quorum his iuribus gaudet *index* dicitur (§. 14.)

§. XXXI. Deinde quia Imperantes iudices sunt Argumenta competentes omnium qui in eorum territoriis com tum II.  
 morantur; (§. 30.) profecto etiam sunt legatorum quos receperunt. Rationes exemptos esse legatos existimantium Capite IVto contuebor; Et vt paucis mentem meam explicem; male, qui id putant rei suæ consulunt; non enim probant quod debent; Legatos enim exemptos aientes fatentur debere eos esse Imperantium, ad quos mittuntur, iurisdictioni obnoxios secundum regulam; sed per priuilegium quasi immunitatem consequutos; dum agnoscunt autem debere eos Imperantium subesse iurisdictioni, consentiunt competere secundum regulam ius imperantibus iudicandi de

de Legatorum actionibus & exequendi iudicatum (§. 13.) ideoque esse imperantes iudices competentes eorum ; Et quia illud ius adimere imperantibus ac subtrahere se iurisdictioni eorum nisi consentiant, licet nemini; inde qui exemptos legatos statuunt; illis probandum esse liquet, abdicasse se iurisdictione in Legatos quas receperunt, Imperantes; Quid vero si id ipsum factum interdum fuisse euinceretur? pertineret ad exceptionem non ad regulam quippe quæ Imperantes rerumpublicarum ad quas legati veniunt, iudices esse eorum competentes sine ullo discrimine affirmat. (§. 30.) Quodsi autem sint qui illud *exemptum esse iurisdictioni* ita explicit, vt quidem Principis, iurisdictionem in omnes vniuersi territorii extende-re sese, non autem in Legatos aduenientes arbitrentur; illis vero oppono egregium locum III. COCEII (\*) qui vero fieret, inquietis, vt principis summa potestas, cui ante aduentum Legati nihil in territorio eius exemptum fuit, imminui posset ingressu extranci cui nihil in eo iuris est.

Argumen-  
tum III.

§. XXXII. Porro, quum qui imperant sint iudices subditorum, ac euictum dederim (§. 39.) Ius esse imperantibus adscribendum, Legatos, quos recuperunt subditos sibi reddendi; Sequitur, vt, quando declarauere imperantes suis legibus legatos obligandos esse; iudices haberi debeant competentes eorum; Atque iure obligandi legatos vti Imperantes confessim debent, ac illi admissi sunt; (§. 24. & 25.) inde

(\*) In Dissertatione de legato sancto non impuni Cap. II.  
§. XV.

inde statim Legati sunt sub Iurisdictione Imperantium illius reipublicæ, ad quam veniunt, constituti.

§. XXXIII. Quamuis vero ad stabiliendam, Argumen-  
quam amplexus sum, sententiam pluribus possem tum IV.  
rationibus vti, in primis eorum qui eadem mecum  
de Iudice Legatorum existimant; cum tamen non  
omnes, quas allegant, stringere videantur (\*) vni-  
cum contentus ero B. COCEII (\*\* argumentum  
explicauisse; Ita autem rationes subducit; cum Prin-  
cipes ipsi, quorum negotia gerunt Legati, si extra su-  
um in alieno territorio morantur, non effugiant plane  
autoritatem territorii in quo sunt; multo minus Le-  
gati; Et profecto; an princeps, qui obligatissimus est  
ad promouendam reipublicæ, quam regit, salutem,  
an ille, inquam, patiatur insidias sibi & saluti publi-  
cae strui a principibus in ipsius terris commorantibus,  
an patiatur, impune occidi subditos suos,  
laedi, circumueniri & id genus alia? Nunquam illud  
quispiam cum ratione affirmauerit. Ergo mediis  
vtendum est, quæ ne eiusmodi quid contingat,  
auertant; quæ autem sunt alia media quam obliga-  
tiones? (§. 25.) bella dicis? nego; nam (I) ad media  
asperiora non eundum nisi non sufficientibus leuio-  
ribus: (II) bella plerumque plus nocent publicæ  
rei quam prosunt; nec obtinent bella finem ad quem

E

obli-

(\*) v. gr. Nihil concludit; rationes, quibus aliter sentientes pro  
stabilienda sua sententia vtuntur falsæ sunt, ergo sen-  
tentia quam defendunt falsa, ergo contraria vera;  
quamvis illi robur exinde accedat.

(\*\*) In Diss. sepius laudata Cap. II. §. 16. 17. vide etiam IO-  
ADOLPHI BRUCHERI Dissertationem Inauguralem de de-  
lictis Legatorum. Argentorati habitam §. 25. num. 4.

obligationes tendunt; et si secundissima eueniant; postquam enim læsa est publica salus, ad bella itur: non itaque, ut non ea læsa sit, efficiunt; efficiunt autem ne violetur obligationes: Si quis exinde concludat; Ius imperantibus compete obliquandi etiam Principes interterritoriis ipsorum commorantes ac Iudicandi de eorum actionibus (§. 30.) non negauerim illud consequi; namque Princeps in alieno territorio non principem agit illius in qua dedit, reipublicæ; (\*\*\*) quamuis ceu princeps alterius publicæ rei, ob salutis publicæ rationes haberi debeat honorificentissime; inque haç, de principe in alieno territorio commorantes sententiam omnes fere descendant, nec ipse BYNCKERSHOKVS plane ab ea esse videtur alienus; et si Legatis immunitatem a Iurisdictione imperantium, apud quos legationem obeunt, concedat (\*\*\*\*) vide illustris L. B. de DANCKELMANN. diss. de pactis & mandatis principis captiui. (\*\*\*\*\*) Notiora sunt exempla MARIE Scotiæ Reginæ; ROBERTI, Regis utriusque Siciliæ ab Imperatore HEINRICO VII. & CONRADINI a CAROLO Andegauensi capitisi damnatorum; quam ut repetere ea hic operæ pretum sit. (\*\*\*\*\*\*) Cum itaque nec principes plane effugiant autoritatem territorii in quo commorantur; An Legatis plus Iuris adscribendum

(\*\*\*) COCCIVS diss. Cap. II. §. 17. & seqq.

(\*\*\*\*) Vid. Cap. III. & IV. de Iudice Legatorum præcipue §. XIII. Cap. III.

(\*\*\*\*\*) §. XXIV.

(\*\*\*\*\*\*) Vide BARBVRACIVM in notis ad BYNCKERSHOE-KII librum de Iudice legatorum Cap. III §. XVI. not (L) & STEPHANVM CASSIVM, sect. II. §. 25.

bendum est ac ipsi principi? nulla profecto ratio sup-  
petit ex qua id affirmaremus.

§. XXXIV. Illud adne&to argumentum; Prin-  
ceps non tenetur ad remittendos legatos, vt qui eos, <sup>Argumen-</sup>  
misit, ille pœnam de iis sumat; adigatque contra-  
dientes, ad persoluenda, quæ ciuibus reipublicæ  
debent, apud quam functi sunt legatione, officia &  
adimplendos contractus; redundaret enim id ad salu-  
tis publicæ detrimentum; Nam, *evidens est*, in-  
quit Dn. PRÆSES (†) *sapius delixa ad fidem &*  
*merita legati referri, noua gratia compensari, licet*  
*palam improbentur & alio loco (††) valde incommo-*  
*dum foret alicui ciuitati æs alienum a legato non exi-*  
*gere, aut respectu aliorum contractuum cum conuenire*  
*haud posse; & in grauissima damna hoc modo coniceren-*  
*tur subditi. Et profecto non auerterentur Legati a*  
malevolis, quæ forsan meditantur, consiliis ac conati-  
bus, si remissum se ad eum iri cuius negotia gerunt,  
intelligerent, vtpote persuasi non solere Principes,  
curare adeo delicta quæ in exteris rebus publicis com-  
missa sunt, quam quæ in ea, quam regunt, patran-  
tur. Quum itaque non obligentur Principes ad re-  
mittendos Legatos, ac puniri tamen illi debeant læ-  
dentes salutem publicam, & compelli ad officia per-  
soluenda, & adimplendos contractus; relinquitur,  
ut imperantibus, apud quos legatione funguntur,  
ius competit puniendi legatos legum transgressores  
ac compellendi contradicentes ad officia; hoc est,

E 2

vt

(†) In Iure Naturæ ac Gentium Lib. III. Cap. XV. §. 24.

(††) Lib. III. Cap. XV. §. 12.

vt sint iudices & ciuiles, & criminales & competentes  
Legatorum.

Conscriptaria  
quædam.

§. XXXV. Ex iis, quæ de iudice legatorum prolata sunt in medium, hæc consequuntur; (I) vt comites legatorum cum in iisdem terris ac legati commorentur; eidem iurisdictioni obnoxii sint; (II) vt quoad legati degunt in terris Imperantium, tamdiu sint sub iurisdictione eorundem; simul ac enim terras imperantium egrediuntur, desinunt esse in ipsorum potestate constituti ac Legibus ipsorum obligari; nec imperantibus quidquam iuris in aliis ac cui præsunt reipublicæ terris commorantes adscribendum est. [§. 22.] Vnde vero eluceat; cum legati in Imperantium, per quorum terras transeunt potestate positi sint, ac omnibus competit moderatoribus rerum publicarum ius media omnia, quæ ad salutem tendunt publicam, applicandi [§. 20.] & hinc etiam obligandi legatos. [§. 24. 25.] Imperantes quoque per quorum terras transeunt, esse iudices legatorum. (III) Cum qui iudex est ille iurisdictione gaudeat; [§. 14.] vt Imperantibus, quorum iurisdictioni obnoxii sunt legati; omnia ea erga legatos liceant fine quibus explicari iurisdictione non potest L. 2. ff. de iurisdictione (IV) quia pœnis in eos saltem animaduertendum est, qui leges ciuiles i. e. salutem publicam violauerunt, [§. 25.] vt non competit Imperantibus ius puniendi legatos non transgressores legum non violatores publicæ salutis; ex quibus illicitum esse conficitur, *Iure* quod vocant *talionis* male tractari legatos ab eo venientes qui tale quid patrauerit, quod idem GROTIUS (\*) existimat: Id autem cum BYNCERS-

(\*) De Iure belli ac pacis Lib. II. Cap. XIIIX. §. VII.

**C**KERSHOEKIO. (\*\*\*) defendo, Imperantibus licere, vt legatis, ab eo, qui ipsorum legatos male habuit, missis, iura aliqua denegent, aut aliis iisque iustis mediis vtantur quæ faciunt vt legato læso satisfiat. (V) Quoniam Imperantes, Legatorum, quos ad miserunt, iudices sunt ciuiles & criminales [§. 30. & seqq.] vt Legati in republica, vbi funguntur legatione, & ciuile forum sortiantur & criminale.

§. XXXVI. Illa de foro legatorum vt dilucidius appareant, res omnis ex principiis suis repetenda; Nimirum *forum* [\*] dicitur *iudicium* [\*] in quo quis conueniri potest secundum WESTEN BERGIV M (\*\*\*), aliosque; ast generaliori conceptu, vt & ad fora criminalia applicabilis sit definitio, il lud est; *locus in quo Index de actionum quorundam cum Legibus conformitate aut disconuenientia cognoscit & iudicatum exequitur i.e. efficit ut, quod iudicatum est fiat.* [§. 15.] Cum itaque iurisdictio in iure iudicandi de actionibus secundum leges & exequendi iudicatum consistat (§. II.) *locum in quo iurisdictio exercetur, forum dici intelligitur; atque hinc sortiri forum in aliquo loco idem est, ac obnoxium esse in eo loco iurisdictionis;* Quo quis igitur in loco ciuili subest iurisdictioni in eo ciuale forum, & in quo criminale paret, forum sortitur criminale; *Quum igitur*

E 3

Impe-

Legati in re publica, vbi; degunt forum & ciuale & criminale sortiuntur.

Argumen-  
tum, I.

(\*\*) De Iudice Legatorum Cap. XXII. §. III.

(\*) Confer. Digesta Illustris G V N D L I N G I I Lib. V. Tit. I. §. XLII, & seqq.

(\*\*\*) Veteres enim glossæ forum, etiam *Iudicium seu examen* vocabant.

(\*\*\*\*) In Principiis Iuris secundum ordinem digestorum Lib. V. Tit. I. §. 73. & seqq.

Imperantes, quorum in terris Legati commorantur; Iudices haberi debeant legatorum & ciuiles & criminales [§. 30. & seqq.] id eoque legati sunt iurisdictioni eorum tam ciuilis quam criminali obnoxii [§. 14.] appetat sortiri eos in terris, vbi degunt, forum ciuale & criminale.

Argumen-  
tum II.

§. XXXVII. Atqui haec alia ratione euincam singula seorsim; Certum est & patet ex data (§. 36.) definitione forum dicendum esse *civile in quo de officiis, que debeni ciues, ac debentur iis*; secundum leges iudicat ac exequitur, *Iudex, id quod decretum est*; h.e. *Iubet compelli aut compellit contradicentes ut officia, ad quae obligantur, persoluant*; hinc & vbi ciuilis exercetur iurisdictio ibi forum ciuale est (§. 36.) & cum conuenire aliquem dicatur: *auxilium a Iudice petere ut contradicentem ad debita mihi officia compellat*: ille etiam est ciuilis fori requisitum ut in eo quis conueniri possit. Cum igitur ad salutem pertineat publicam, ut Legati, quae ciuibus debent officia persoluant (§. 23.) contractus quos iniuerunt, adimplent; &c. ac ius imperantibus, ad quos missi Legati sunt competat, eos ad fungendum officiis, adiendi, (§. 30. & seqq.) conficitur ut Legati vbi Legationem obeunt; ac in quocunque territorio degunt (§. 35.) ibi conueniri possint, ac ideo ibi sortiantur ciuale forum: Deinde quoniam in *criminali foro de delictis i.e. actionibus contra Leges cognoscitur & pæna decernuntur*; (§. 15. & 36.) & imperantes, quorum in terris Legati commorantur, iure, eos transgressores Legum puniendi, gaudeant (§. 30. & seqq. §. 25.) elucescit legatos, vbi legatione funguntur, & per

per quas terras transeunt; eos ibi forum etiam criminale consequi.

**s. XXXVIII.** Quia imperantibus, quorum Conseſtaria in terris Legati commorantur, iurisdictio in eos tam ciuilis quam criminalis adſcribenda est; ac inde omnia illa fine quibus explicari iurisdictio non potest; (**S. 35. num. III.**) eluſeſit liceſ Imperantes posſe dare, atque aliis mediis ad adimplendum, quem iniuerunt, contractum & officia ciuibus praefanda, cogere; (\*) [II] Quia imperantes ſunt Iudices Legatorum; nec ipſi tamen otium habent iudicandi de actioniū, quarum Legati auctores ſunt, cum Legibus conformitate aut diſconuenientia; ideo diuerſos Legatis iudices poſſunt conſtituere; quorum *aliis* id iuriſ & potestatis concedant, vt in ciuibus cauſis cognofcant de actionibus Legatorum, compulſuri eos ad adimplenda, que debent, officia; *aliis* vt poenas subire Legatos transgrefſores Legum cogant; *aliis* demum vt de cauſis certis Legatos conceruentibus ac ab aliorum iudicatione exemptis v. gr. eccleſiaſticis, cognofſant &c. Fruſtra vero foret ponere legatis iudices, niſi ſimil obligarentur ad comparendum coram hiſ iudicibus; Quocirca & ad id obligandi Legatos ius imperantibus competit.

**s. XXXIX.** QVÆRITVR (I) num ob delicta ante legationem, in republica, apud quam nunc legatione fungatur, commissa, LEGATI ab imperantibus illius publicæ rei puniri; compellique ad contractus, quoſ antea iniuerunt,

Quæſtiones  
nonnullæ  
refoluuntur.  
Quæſtio I.

(\*) Confer. Dn. FLEISCHERI Ius Nat. & Gentium Lib. III. Cap. XV. §. 12.

runt, adimplendos possint? mentis meæ hæc est ratio. Cum salutis interstit publicæ vt qui contra rei-publicæ leges egerunt; qui violauerunt salutem illius & securitatem; illi puniantur, ac qui parere contractibus initis detrectant; illi adducantur potentí manu; euidens est, in Legatos quamvis in rem-publicam venientes ad legatione fungendum; quia tamen tunc sub potestate sunt imperantium illius publicæ rei, pœnis posse animaduerti ad vlciscendum, quæ ante tempus legationis in ea republica patrauerunt crimina; & compelli vt contractus, antea initios, adimpléant.

## Quæstio II.

§. XL, PORRO an Legati ab imperantibus Re-publicæ, in qua legatione funguntur ob delicta, extra rempublicam commissa puniri queant, aut ad officia extrancis persoluenda apud eos conueniri? Quod vt affirmem me rationes inducunt deriuandæ ex officiis quæ sibi inuicem respubicæ debent. Nam quia tanquam persona moralis quævis publica res consideranda est; mutua rerum publicarum ea esse edocemur, quæ sunt cuiuscunque hominis aduersus alterum officia; nimirum vt ea sibi inuicem prætent quæ altera potest, nec posita sunt in potestate alterius; Iam vero cum non sit in potestate reipublicæ quæ læsa est, in legatos extra illius terras commorantes pœnis animaduertere; eosque, vt officia quæ illius ciuibus debent, persolvant compellere; hæc autem respubicæ, apud quos legatione funguntur Legati; possint, siquidem eorum iurisdictioni obnoxii sunt; ideo non illicite moderatores rerum publicarum, vbi Legati degunt, agere sed teneri naturali obligatione eluescit, vt vel Legatos criminum extra rempublicam com-

comissorum reos puniant, adducantque eosdem ad officia debita *extraneis* persoluenda, aut potestati reipublicæ, quam violauerunt, committant; quibuscum alterius reipublicæ principes excitabuntur vt de delinquentibus, qui criminum vtrices pœnas evitatur ad eos veniunt, idem statuant; tum & illud eueniet vt delicta in omni republica rariora fiant, si quidem male contra leges animati se nullibi intelligent a diris pœnarum immunes futuros.

§. XLI. DENIQUE; cum is demum qui legibus Quæstio III.  
publicæ rei ciuilibus obligatur, reipublicæ & imperantium subditus sit imperio; ac vero ad obligandum legatos, vt ipsis declaretur necesse sit pœnis, in eos transgressores Legum animaduersum iri & compulsum contradicentes vt, quæ debent, officia persoluant; *An imperantes, antequam legatos legibus vincluerunt, sint tamen iudices competentes eorum?* Quoniam hoc casu non ciuili legum obligatione tenentur legati, nec eos ad subeundas, quæ in lege ciuili statutæ sunt, pœnas cogi iure meritoque posse existimarem; Cum tamen salutis publicæ intersit, vt qui eam lædunt, coercentur, ideo etiam in Legatos nondum ciuilibus legibus obligatos, si infidias publicæ saluti struxerint, pœna posse extraordinaria animaduerti nullus dubito; cum vt ipsis, tum vt alii a malevolis eiusmodi conatibus auertantur ac absterreantur; quumque idem ad salutem publicam pertineat vt prætentur ciuibus debita officia; ac imperantiibus, omnia ea media ad publicæ rei salutem applicandi quæ posita sunt in eorum potestate, ius competit; hinc & legatos nondum subditos compelli posse ad officia persoluenda ab Imperantibus credi-

F

derim:

derim: Illud autem facile cuique est ad intelligendum dum poenis in legatos animaduertitur, dum compelluntur ad officia contradicentes, subditos eos fieri: sed potest tamen Ius fuisse imperantibus coercendi legatos poenis & adigendi eos ut officiis, antequam subditi effecti sunt, defungantur; ex quibus omnibus, imperantes rerum publicarum, intra cuius limites legati reperiuntur, quamuis eos nondum legum ciuilium vinculis constrainxerint; Iudices esse tamen illorum competentes, eluescit (§. 30. & seqq.

**Legati criminis lesae maiestatis posse rei fieri.** §. XLII. Qui legibus obligatur ille iussui leges ferentium obediens sit necesse est; Qui iussui ac impestatis periodio leges ferentium debet obtemperare, illi nihil est contra ius & potestatem moderatorum reipublicæ moliendum; Quumque *ius ac potestas regendæ reipublicæ*, cuicunque demum illa competit *majestas* dicitur; inde qui legibus obligatur, i. e. qui subditus est; illi nihil est agendum contra reipublicæ maiestatem; Et qui molitur quædam contra maiestatem, cum is aduersus officia illi debita agat, laudit *majestatem* & dicitur crimen *lesæ maiestatis* commisissæ. Ex quibus consequitur ut legatus quando legibus reipublicæ, apud quam legatione fungitur, obligari cœpit i. e. subditus reipublicæ redditus est; criminis *lesæ maiestatis* aduersus eam possit rempublicam reus fieri.

## CAP. III.

*DE*

## IVRIBVS LEGATORVM.

§. XLIII.

**Q**uibus præstructis de Iudice Legatorum nunc iura eorundem contuebor; daturus operam, ut, & quæ legatis in republica, vbi

vbi concredita negotia expedient, liceant; & quæ  
ipsis officia debeantur, elucescat ac intelligatur; si-  
quidem exinde iura deriuanda esse legatorum eui-  
etum est probatumque (§. 12.)

§. XLIV. Primo loco huic euoluendæ quæstioni <sup>An omnes</sup>  
operam impensurus sum; num Principes, nullo ha- <sup>legati admis-</sup>  
<sup>bito inter legatos, qui mittuntur, & causas mittendi</sup> <sup>tendi sint?</sup>  
discrimine, ad admittendas Legationes Iure Gentium  
obligentur. (\*) Quia vero admittere legatos est libe-  
rum ipsis concedere aditum ac audire que habent in  
mandatis; (§. XI.) omnis quæstio huc redit num si-  
ne ullo discrimine legatis omnibus concedendum sit, ut  
ingrediantur terras Reipublicæ, apud quam fungile-  
gatione debent, ac exponant, que expedienda ipsis  
sunt negotia? Ut meam hac in re mentem aperiam,  
pono; cum quæ tendunt ad salutem publicam, ea  
a moderatoribus rerumpublicarum promouenda,  
& quæ ipsi contrariantur amolienda sint (§. 3.20. & 21.),  
consequens esse; vt quæ profuturæ publicæ rei le-  
gationes existimabuntur; admitti ab imperantibus  
debeant, & e contra illæ demum recusari, ex qui-  
bus, certum est, noxia ad salutem publicam redundan-  
tatura; deinde, vt admittendæ sint a Principibus  
legationes, quando plus damni earum recusatio pu-  
blicæ rei adportaret, ac admissio; & reiiciendæ, si  
admissio existimatur recusatione earum futura detri-  
mentosior. Vnde, quia sub voce *legationis & causæ mit-  
tendi & legati missi* comprehenduntur (§. 4.) elucescit;

F 2

causæ

(\*) Dico *Iure Gentium*, nam, quæ proferri de officiis summorum  
imperantium possunt, ea, cum immunes sint a civili ob-  
ligatione, ex naturæ legibus haurienda esse omnes lar-  
giuntur.

causas reiiciendarum Legationum esse & ex eo posse qui mittit, & ex eo qui mittitur Legatus; & ex eo ob quod mittitur. Ita vero GROTIUS (\*) sequor, qui, cum locum LIVII, ubi Hanno Carthaginensis in ANIBALEM inuehitur; *Legatos ab sociis venientes & pro sociis, bonus Imperator noster in castra non admisit, Ius Gentium sustulit;* non ita crude intelligendum dixisset; non, inquit, omnes admitti praecepit Gentium ius, sed vetat sine causa reiici: Causa esse potest, ex eo qui mittit, ex eo qui mittitur, ex eo ob quod mittitur. Quo etiam collineant STEPHANVS CASSIVS (\*\*) illustris THOMASIVS (\*\*\*) aliique. Negat PRESBEVTA (\*\*\*\*) calculos GROTIOS; ast in logomachiam omnem abiire controversiam forsan non sine ratione existimo; negans enim PRESBEVTA cogi amittente Principem posse ad quem mittitur legatio, vt earn admittat, euincere multo verborum circuitu aggreditur potestatem cognoscendi an legatio admittenda sit vel deprecanda, arbitrio eius committendam ad quem destinata est: neque vero GROTIUS haec inficiatur, ast causas esse recusandæ legationis debere, illud demum vult intenditque, quod, nescio, qua ratione negare PRESBEVTA sustineat.

Causa I.  
recusanda-  
rum Legatio-  
num.

§. XLV. Singulæ autem recusandarum Legationum causæ seorsim considerandæ sunt. Quumque omnes iniici rationibus salutis publicæ debeant; (§. 44.) ex eo qui mittit esse causæ potest; Quando mittentem recusatione Legationis commotum iri constat

(\*) De iure belli & pacis Lib. II. Cap. XVIII. §. III.

(\*\*) In diatribe de Iudice Legatorum Sect. II. §. 72.

(\*\*\*) In Iurisprudentia divina Lib. III. Cap. IX. §. 15, & seqq.

(\*\*\*\*) De iure legationis statuum imperii §. 75.

stat aut opinabile saltem est, vt a maleuolis erga eam  
republicam, ad quam mittit Legationem, consi-  
liis desistat præstetque, quæ haetenus recusauit,  
officia. Ponunt hæc multum mittentis Legationem  
interesse ea vt accipiatur & tractentur quæ concredi-  
dit legatis negotia; Ita potest hæc causa locum in-  
tienire, cum hostis in angustias redactus, dum mit-  
titur & accipitur legatio, otium quærerit virium recu-  
perandarum & belli persequendi; Sic enim dum non  
admittuntur Legati desistendum ipsi est a maleuolo,  
quod ceperat, proposito; Porro, cum hostis anxie  
pacem cum republica, ad quam legatos mittit, desi-  
derat restitui bellaque sopiri, nec tamen æquas, quas  
debet, pacis conditiones offert; Sic enim ad æquiora  
foedera ipsi est descendendum, atque hæc in ho-  
stem licent; Nolim tamen quis omnes hostium Le-  
gationes fine discrimine recusandas, quemadmodum  
videtur GROTIUS existimauisse, arbitretur; Nam  
cum decerni recusatio non debeat nisi salutis intersit  
publicæ, aut eminentioris vtilitatis rationes pro re-  
iiciendis, quam admittendis Legatis contendant;  
sequitur, vt si deficient rationes huiuscemodi non  
temere ad recusationes Legatorum appellendus sit  
animus.

§. XLVI. Ex eo qui mittitur legatus, causa esse *Causa II.*  
reiiciendæ legationis potest, quando is profligati ad o-  
mnia sclera animi esse & ingentia reipublicæ damna  
portendere non vano augurio creditur, in domito-  
rum affectuum & sceleratae mentis præse ferens argu-  
menta. Ac ideo, quia plerique Atheorum eiusmodi te-  
rrimæ farinæ homines esse deprehenduntur; quis  
F 3 incre-

<sup>1)</sup> De iure belli & pacis Lib. II. Cap. XVIII. §. III. num. 2.

increparet GROTIUS eos iure meritoque reiiciendos arbitranti? quale habet exemplum idem GROTIUS (\*) THEODORI athej ad LYSIMACHVM A PTOLOMÆO missi quem audire LYSIMACHVS noluit.

## Causa III.

§. XLVII. Quando *causa mittendi* in iustum cadit suspicionem i.e. coniecturis assenti datur, finem, quem in mittenda legatione mittens propositum sibi habet; contendere contra salutem illius, ad quam Legati veniunt, reipublicæ; admittendam non esse legationem rationibus (§. 44.) datis inducor ut existimem; Igitur cum venisse legationem opinabile sit (I) ad concitandam seditionem ciuiumque sollicitandos animos, quale habetur exemplum II. Regum Cap. XVIII. v. 28. 29. (II) ad insidias imperantibus & vitæ eorum struendas (\*\*) (III) ad bellis implicandas, quæ foedere junctæ sunt, respuplicas, aut dissoluenda saltē quæ inter eas foedera coauerunt; quod Gallorum Regi LVDOVICO XIV. solenne in bellis cum imperio Germanico gestis fuisse historiarum monumentis edocemur; & id genus alia; tunc,

(\*) In sepius laudato opere Lib. II. Cap. XVIII. §. III. num. 2.

(\*\*) Specimina Legationum eiusmodi recenseret BARBEYRA CIVS in nota 2. ad §. V. Cap. XXIV. BYNKERSHOEKII de Judice Legatorum; alterum est Legatorum a BASILIO II. Imperatore ad SERMONEM Dominum SIRMII missorum qui trucidarunt eundem in colloquio prope ripam fluuii cuiusdam habitu referente CEDRENO Histor. alterum a SYPHACE Rege Numidarum, (cuius frequens fit a LIVIO mentio, qui captus a SCIPIONE bello punico tertio ductus in triumpho fuit si fides est PROVBIO) Massinissam missorum ut illius Principis vita infidarentur; alterum denique LABESPINII Legati gallici sollicitans VILELMVM Comitem Staffordie ut ELISABETHAM Anglia Reginam occidat.

tunc, inquam, pessime agi de salute publica, si admittantur legationes huiuscemodi quippe quibus non ita facile fungi quidquam potest abominabilius.

§. XLVIII. En recusandarum Legationum causas tenui penicillo adumbratas! Causæ quibus ad admittendos Legatos obligantur rerumpublicarum moderatores ille vero facile deducuntur negotio ex præstructis (§. 44.) principiis & ab imperantibus ex rationibus salutis publicæ determinantur. Sic, quando causa mittendi salutaris est publicæ rei v. gr. Legati mittuntur; vt foederibus pangendis, paci, extinguidis bellis, stabiliendo commerciorum ordini & id genus aliis rebus ad salutem publicam pertinentibus operam impendant (§. 3.); sic, quando Republicæ interest non imminui mittentis erga rem publicam propensam voluntatem; aut publica res implicita bellis viribus languescentibus per admissions Legatorum otium nancisci & idoneum tempus potest earum recuperandarum & id genus alia. Quæ vero quum ita sint; acquiescere in sententia GROTIANA non possum *de legationibus*, quas vocant, *affiduis* sive discrimine recufandis; (\*\*\*) Quid enim si futurum est vt negotia ab iis, qui legatione affida funguntur, expedienda vtilitati publicæ admiculentur? Quid? quod continget, vt saluti suæ pessime consulant (†) respublicæ, Legationes eiusmodi, nullo habito inter causas mittendi, & legatos missos

Cause admittendarum Legationum.

(\*\*\*) De iure belli ac pacis lib. II. Cap. XIX. §. 3. num. 2.

(†) Turcanum SVLDANVM quem vocant, Legatos aspidios in aliorum regum aulis non habere, magno ipsius damno, ex Rigoltio in Hist. IBRAHAMI. Turcarum Imperatoris ad annum 1640. pag. 171. notauit MERTIVS pag. 177.

missos discrimine, recusaturæ; Quum enim in præcipuis causis sit mittendarum eiusmodi Legationum, vt alma pax & amica rerumpublicarum fœdera farta & tecta conseruentur; (§. 6.) ac illæ, quæ forsitan in re publica, ad quam missæ sunt, noxia consilia agitantur, expiscatae; principiis remorant obiciant, ne sero medicina paranda sit; inde consequitur vt a singulis publicis rebus non vulgaris opera danda sit mittendis & accipiendis eiusmodi legationibus; si quidem si altera reiectura foret legationes, quas altera mittit, assiduas, idem continget ut ipsa experiretur; quam vero hoc male sit prospectum saluti publicæ, cum scire cuiusvis reipublicæ interstet, quid sibi ab altera sperandum sit metuendum, il lud vero facile quisquis animaduertit. Frustra autem GROTIUS exinde, opus iis legationibus non esse, contendit, quia moribus antiquis illæ fuerunt ignoratae; ratio enim rerumpublicarum, quæ hodie florent, ab antiquis immane quantum! discrepat; non indigebat iis ROMA antiqua siquidem magnitudine imperii innixa non habebat adeo, quod sibi metueret ab hostibus; ac totius orbis inhians dominatui curabat exterios, scilicet! sublato interdum omni cum extraneis commercio Cod. L. IV. de commerciis & mercatoribus; Vide, si placet, BVNKERSHOEKIVM (\*\*\*\*\*) aliosque (\*\*\*\*\*) Fieri autem potest, quod

(\*\*\*\*) §. IV. Cap. I. de Judice Legatorum.

(\*\*\*\*) ex. gr. HERTI elementa prudentia ciuilis, Parte I. Sect. IX. §. VII. pag. mihi 176. ET RICHARDVM ZOVCHEV M qui Legationes assiduas antiquitus non fuisse penitus incognitas probare exemplis aggreditur; allegat Legatos Atbea

quod non inficior, ut grauiores quandoque præsto  
sint *recusandarum Legationum*, quas *affiduas* vocant,  
causæ, ad quas tunc attendendum est; non autem  
a particulari duci filium debet consecutionis ad *uni-*  
*uersale*.

§. XLIX. Quando itaque ad admittendas, *Conscriptaria*  
quæ veniunt, Legationes obligantur respublcae ea- *quædam*.  
rumque moderatores; iure tunc meritoque inter of-  
ficia alterius publicæ rei aduersus alteram illiusque  
Principes & Legatos referendum est; vt liberum Le-  
gatis patere aditum; & quæ ipsis concredita sunt,  
negotia, exponendi licentiam largiatur. (§. 11. 12. 17.)  
num autem admittendæ sint legationes nec ne: i.e.  
vtrum saluti conducat publicæ, si admittantur, an au-  
tem sit periculosem; illud vero definire penes rempu-  
blicam est ad quam venit legatio, & eorum qui illius  
gubernacula moderantur. (§. 20.) Nec tamen recu-  
fationem legationum, quæ admitti debuere, iustum  
belli causam subministrare adduci possum ut existi-  
mem; cum non ad acerbiora procedendum sit nisi me-  
diis non sufficientibus leuioribus; quamvis explora-  
tum habeam & ex antea dictis consequatur, vt, quæ  
impedit publica res, quo minus Legati, qui missi & ad-  
mittendi sunt, concredita fungantur legatione; illa ad-

G

uersus

Atheniens̄ duos annos DEMETRIO adh̄erentes; LEO-  
NEM CUM TIMASORAM quadriennium Legatione functum;  
Legationem Romanam, durante bello Macedonico apud  
ANTIOCHVM commoratam &c. vide EIVS. diss. de le-  
gati delinquentis Iudice competente Cap. IV. pag. m. 66.  
Et VICQYEFORTIVM, hoc genus Legatorum ante duo  
hæc secula inusitatum fuisse obseruantem L. 1. de l' am-  
bassadeur Sccl. I. incalce. Addit Polonus non libenter eos  
admittere.

uersus officia agat reipublicæ, quæ Legatos misit, illiusque regentibus & Legatis debita. Ast verum est, qui contra hæc, quæ Legatis debent, officia quid moliuntur; lædere Legatos *per* (§. 12.); atque Legati non lædendi sunt.

*Legati sancti sunt.*

§. L. Nam, cum naturæ verissima vox i. e. Obligationum, quæ ab ea proficiscuntur, concatenata rationes hæc nos edoceant, lædendum esse neminem; luce meridiana clarius appetere esse etiam Legatos naturalium Legum præsidio communis aduersus omnes læsiones; quod idem particulari ratione, quæ tantum ad Legatos pertinet, euincitur; Nimirum quia non exiguum momentum ad salutis publicæ obtinendum finem conferunt Legationes (§. 4 - 48.) vtique rationi consentaneum est, ne lædantur legati, operam dandam esse rebus publicis eorumque moderatoribus; Quis enim, quando non immunes forent a violationibus Legati, quando obnoxii omnis generis vexationibus essent, obiret hanc prouinciam? Quis legatione fungeretur? Hinc igitur est, cum non lædendi sint legati, cum immunes esse a violationibus debeat; quod iure optimo maximo *sandi* habeantur & *inviolabiles* (§. II.) Nam sub *sangitate* faltem ab omni læsione immunitatem intelligi, illud vero communia ICtorum omnium suffragia satis & abunde euincunt. Videantur L. VIII. ff. de diuisione rerum L. ultim. ff. de legationibus; BYNKERSHOEKIVS (†) E. COCCEIVS (††) & alii. Nec

(†) De Iudice Legatorum Cap. V. §. II.

(††) In sapientia laudata dissertatione. Cap. I. §. 2. 3. 4.

## LEGATORVM.

Nec igitur, qui ab hoste veniunt, Legatos violabiles existimauerim; aut enim aliqua ipsis, aut nulla debentur officia, si aliqua; adea persoluenda quæcumque est quæ illa debet respulca obligatur; tantum abest ut aduersus eadem quid moliri i. e. laedere legatos (§. 17.) liberum ipsi sit. Si nulla; nec possunt violari, quia contra officia, quæ nulla sunt nec quæ debentur impingi non potest.

§. LI. Attamen respulcas, aduersus Legatos ab hoste venientes, teneri qui admittendi sunt, ad officia quædam, illud est quod euicturus sum; vel enim veniunt paci ineundæ & reconciliandis, quæ alieno ab inuicem animo erant, rebus publicis daturi operam; vel ad indicendum bellum. Cum ideo dulce nomen pacis sit & res ipsa tum iucunda tum salutaris i. e. publicam salutem firmet stabilitatque; inde rationi consentaneum est, omnia legatis ab hoste ad ineundam pacem venientibus officia deberi, quæ iis, qui ab amica mittuntur respulca persoluenda sunt; cum alias nunquam futurum esset, vt spes aliqua pacis firma exoriretur, si in legatum ab hoste venientem quemadmodum in hostem, licerent omnia; INSTAS est tamen exploratae veritatis licere in hostem omnia atqui Legatus, qui ab hoste venit, idem hostis est? Itane ergo occidi possunt qui ab hoste ad pacem ineundam mittuntur Legati? negas forsan quia alias inane foret pacis nomen quippe nunquam coalituræ. Itane rebus possunt omnibus bonisque priuari? idem negas cum sic futurus non esset qui pacis Legatione fungeretur? Ergo vides deberi Legatis ab hoste ad pacem conciliandam aut etiam ad inducias ineundas (harum enim eadem fere est ratio) venien-

tibus officia quædam; nec porro Legatus ab hoste missus aut negotia eius expediens ipse hostis est; nisi aliqua aduersus reipublicæ, apud quam obit Legationem, salutem publicam & securitatem moliatur machineturque; ex quibus simul consequitur ut nec in legatos, ad indicendum bellum missos temere liqueant omnia; nec enim illi haberi ceu hostes possunt; tamdiu publicæ rei, cui bellum nunciant, moluntur nulla aduersa, nec illi struunt insidias. Hic enim demum hostis merito nuncupandus est qui solicitare salutis publicæ & securitatis fundamenta anuntiatur, qui lædit salutem publicæ rei, qui violat, qui ut subuertat illam, quantum in ipso est, nulli parcit operæ; Et quid quæso vtilitatis exinde ad publicæ rei salutare incrementum accederet si in *Legatos fœciales* quos vocant, impune licere omnia respublica, cui bellum dictum est, pateretur? quid autem his immoror cum vsus sit Legationum eiusmodi ad indicendum bellum hodie inusitatissimus; illud ex his omnibus infero; quia nullæ suppetunt rationes quæ licita esse in Legatos hostium omnia esse euincant; merito ab hac thesi fuisse mihi faciendum diuortium. Non itaque omnia licent in Legatos hostium; ergo consequitur ut aliqua ipsis debeat officia ad quæcum, qui illa debent, legibus obligentur (§. 17.) quid esse potest ac illud euidentius; etiam, qui ab hoste mittuntur Legati immunes esse a læsionibus; ideoque sanctos & inuiolabiles de prædicando.

Officium est  
imperantium  
erga Legatos  
vt eos secu-  
ros reddant.

§. LII. Quæ cum ita sint; ac, sanctos esse o-  
mnes legatos & inuiolabiles, illud vero veritatis fir-  
missimo fundamento innitatur; cumque *lædere* ali-  
quem significet agere contra debita alicui officia; (§. 12.)  
viden-

videndum nunc est quæ vero illa sint, quæ a rebus publicis, ad quas mittuntur Legati, earumque moderatoribus legatis officia persoluenda sunt. PRIMVM tenentur imperantes, vt quacunque possunt opera *securos Legatos* reddant; Quia enim sancti legati sunt; cumque salutis intersit publicæ (§. 22.) ac naturalium legum vinculis adstringantur Imperantes (§. 20.) vt Reipublicæ, quam moderantur, ciues, intra officiorum cancellos confineant; pœnis effrenem peccandi licentiam compescentes & potenti adducentes manu vt actiones, ad quas legibus tenentur, obstant peragantque; hinc facile est animaduertendum obligandos esse ab imperantibus, reipublicæ, in quibus Legati degunt, ciues, vt officiis, quæ ex naturali obligandi ratione Legatis debent, perfungantur; nec eos lædant nec violent: illud autem est *securos reddere Legatos*; immunesque eorum a læsionum metu animos; vnde, vt in securam viuendi conditionem Legatos constituant, officium esse imperantium elucescit.

§. LIII. Vnde etiam in eam adducor senten- Violatores  
tiam vt cum BYNKER SHOEKIO (\*); puniendos Legatorum  
qui Legatos violent, ac qui alias lædunt, acerbius acerbius pu-  
existimem, eam ob rationem quia delicta, quo niendi sunt.  
grauius ex iis damnum reipublicæ enascitur, eo vin-  
dicanda sunt seuerius; atqui quum non exiguum  
publicæ salutis momentum a legationibus depen-  
deat; quippe quæ ineundis foederibus securas ciui-  
um fortunas ab externa potentum vi redditibus;  
G 3 extin-

(\*) In sèpию laudato opere Cap. V. §. IV.

extinguendis flammis bellorum &c. operam impendunt (§. 48.); inde consequens est; ne alienentur a Republica, quæ eas admisit, legationes; & irrita omnia, quæ affecta sunt a legatis negotia relinquantur, vt impune laceSSI legatos, imperantes pati non debeant, nec eiusmodi violatoribus legatorum minari pœnas quæ finem propositum non obtinent; Ideo pœnis in eos qui legatos lædunt acerbioribus animaduertendum est, vt, qui forsitan maleuole sint erga legatos animati, a proposito scelerato absterreantur & dimoueantur certius constantiusque. Non dissentit, quod supra dixi, BYNKERSHOEKIVS ast diuersam init probandi rationem, arbitratus, quod qui lædunt legatos acerbius puniendi sint, illud exinde deriuandum quia sancti sunt legati; Ast huic argumento, nullam video in esse vim nullum probandi momentum, quasi vero non omnes, quibus certa debentur officia, sancti sint? quasi hoc, quicquid est legatis instar priuilegii competit? Lædendus est nemo; euincunt hoc naturæ verissima præcepta, qui vero immunis esse a læsionibus debet, sanctus est; An non igitur sancti dicendi sunt omnes, qui Iuris Naturalis fruuntur commercio? vocat equidem in partes veterum ICtorum testimonia BYNKERSHOEKIVS (\*\*), quibus profecto fere omnia quæ de legatis philosophatur, inædificat; sed quam hæc

(\*\*) v. gr. POMPONIVM Legi ultim. ff. de Legationibus. Leg. IULIAM de vi publica. MCVIUM. vide FRANCISCI BALDVINI Iurisprudentiam MUCIANAM.

## LEGATORVM.

hæc eorum suffragia nihil ad rem faciant, quisquis animaduertit.

§. LIV. Quia igitur legum etiam ciuilium præsi- Consecratio  
dio communienda securitas est Legatorum (§. 52.) quædam.  
HINC consequitur (I) vt, quod immunes ab omni, qua  
imperi possunt, læsione h. e. *sanc*t*i* habendi illi sunt,  
illud debeat naturalium (§. 50.) & ciuilium obligatio-  
num rationibus efficacissimis, HINC (II) est, quod litte-  
ris fidei, quas vocant, *publicæ seu fulvi commeatus ab*  
*imperantibus*, qui audire mandata *corum* tenentur,  
muniendi illi sint aduersus quoscunque maleuolo-  
rum insultus (§. 9.) (\*), HINC patet denique,  
obligari reipublicæ, apud quam Legati suum Lega-  
tis munus obeunt, moderatores, cum ab iis o-  
mnem vim arcere inimicam debeant, vt etiam Le-  
gatis diuersarum rerum publicarum negotia apud se  
gerentibus a se inuicem præsent securitatem, atque  
ideo vt ius competit imperantibus interdicendi lega-  
tis, ne mutuis se offensionibus onerent affiantque.

§. LV. Ex quibus cum elucescat obligandos esse Si lites inter  
legatos nomine diuersarum publicarum rerum fun- Legatos ipsos  
gentes legatione, ab imperantibus, in quorum po- oriuntur, illæ  
testate simul positi sunt, ne aduersus mutua, quæ ab imperan-  
tibus ad quos  
sibi debent, officia moliantur quidpiam (§. 25-12.) at- Legati missi,  
que cum hi imperantes iudices haberi debeant com- dirimendæ  
petentes Legatorum (§. 30. & seqq.) quid quæsto ac il- sunt.  
lud est euidentius, si inter ipsos Legatos in iisdem  
terræ commorantes lites agitantur earum esse diiu-  
dicationem & diremptionem penes terrarum vbi  
de-

(\*) Exempla litterarum eiusmodi fulvi commeatus vide apud  
FÜRSTENERIVM Cap. LVII. aliasque.

degunt superiores, quos dixi, magistratus. (†)  
 Deinde vero ad ipsos Legatos illæ litium cau-  
 sæ pertineant necesse est non ad eorundem Domi-  
 nos, quippe qui superiorem præter DEV M re-  
 rum omnium supremum ARBITRV M agnoscunt  
 neminem. Illa est quæstio momenti grauior; num  
 Principi, gentium inimicarum i. e., quæ infesta ad-  
 uersus inuicem arma gerunt, Legatos in suis terris  
 agentes, ne se offensionibus laceffant & prosequan-  
 tur, liceat obligare. (††) Quem quidem nodum  
 Gordium, vti CASSIO (†††) vocatur, non more  
 Alexandrino sed quo oportebat accommodatissimo  
 soluisse PRESBEVTAM (\*) reor; quicquid nitatur  
 CASSIVS (\*\*) in contrarium. Nam cum tueri Le-  
 gatos aduersus omnem vim inimicam imperantes  
 debeant (§. 54.) ac omnia illa ab eis amolienda sint  
 quæ futurorum malorum meticulosas curas publicæ  
 rei incutient (§. 20. & seqq.); vtique rationi conser-  
 taneum est, nec permittendas Legatis, quorum Do-  
 mini professi sunt inter se hostes, mutuas offensiones;  
*Valde enim interest, inquit PRESBEVTA, eius, in*  
*cuius aula versantur, ut pacem domi sue retineat, &*  
*ipso-*

(†) Exempla vide apud BYNKERSHOEKIVM Cap. VII. §. VII.  
 quo in loco controvrsia inter Legatos Gallicum & Hi-  
 spanicum ob litteras interceptas orta, direktionem re-  
 gentibus unitarum prouinciarum negat competitisse; mihi  
 aliter videtur; plura IDEM exempla congesit in  
 Tractatu de Iudice Legatorum aliis in locis pasim.

(††) Exempla exhibet PRESBEVTA de Iure Legionis Statuum  
 Imperii §. 84.

(†††) Sect. II. de Iudice Legatorum §. 42.

(\*) §. 84. p. 151.

(\*\*) Sect. II. §. 42. 43.

*iporum Legatorum, ne ludicro se bello ad summam rerum nihil profecturo, at in se crudeli & periculoſo, ob mutuas cedes, quotidie utrisque timendas, hostilem in modum persequantur, cum eiusmodi lanienis non modo incommodi apud hospitem sint futuri, sed & ipsi sibi in negotiis aduersarentur, quorum procuratio illis demandata est. Quædemum opponit CASSIVS, ex hoc capite licere Legatis ad interacionem usque pugnare, modo ciuitatem non turbent & alterius implacent subditos; ea vero insigniter falsa esse quisquis facile ex antea probatis animaduertet; Præterea quamuis contingat ut nec turbaretur ciuitas nec illius subditii implicarentur; hæc tamen fieri omnia posse, quis est qui sustineat ire inficias? ac vero etiam pro pulsanda esse quæ verosimiles futurorum malorum rations continent, ambabus omnibus manibus largiuntur. (\*)*

*§. LVI. Qui rerumpublicarum moderatores Non impe-  
admittere legatos obligantur, illi sane impedire le- diendæ sunt  
gatos, quo minus munere mandato fungantur, non Legationes.  
debent; Qua enim ratione cum impingant in officia quæ iis debent, lædunt Legatos; ac vero eosdem immunes esse a lesionibus oportet. (§. 50. & seqq.) Vnde vero facile est ad intelligendum (I) quam- Consecutaria,  
uis ea omnia imperantibus in Legatos adscribenda sunt, sine quibus explicari iurisdictio non potest (§. 35 - 38.); nulla tamen licere, si alia suppetant media coercendi Legatos, quæ impediunt legationem; (II) Quia admittere Legatos significat audire quæ in mandatis habent (§. 11.) concedendum esse ab imperantibus Legatis, ad quos admittendos obligati H sunt;*

*(\*) Quæ paragraphis LIV. & LV. commentatus sum, ea studio huic Capiti; cum Capite II. non omnes premissæ præferebant, reseruauit.*

sunt, vt libertate fruantur sermonis & dicendi omnia quæ mandati limites non excedunt, modo dignitatis eminentioris imperantium ratio habeatur, nec definat in conuiciis & exprobrationibus oratio. (III) Cum legati fungi munere suo non possint, si ipsis præcludatur aditus in rempublicam ad quam veniunt, non impediri solum sed irritas reddi prorsus Legationes ab imperantibus qui interdicunt legatis aditu; ac vero nefas est legationibus, quæ aliquod salutis publicæ momentum continent, esse impedimento, tantum abest, vt plane subuertere eas liceat.

An transitus  
Legatis con-  
cedendus,

§. LVII. Qnum, vt fungantur legati concreto munere, iis interdum per quarundam rerum publicarum terras transeundum redeundumque sit, non immerito quæritur an concedere Principes qui buscunque legatis obligati sint, vt per terras, quibus præsunt, illi ad exterias respublicas euntes, iter suum persequantur? Quia ex rationibus salutis publicæ metienda sunt omnia quæ permitti concedique a Principibus gubernacula publicæ rei regentibus debent; non difficile est intellectu; si transire legatos publicæ salutis interest aperiendum ipsis aditum; si vero futurum esse opinabile fit, vt aliquod exinde detrimentum publicæ rei enascatur, occludendos ipsis fores; variis vero ex rationibus salutis interesse publicæ potest v. gr. cum multarum rerum publicarum Legati congregantur vt pacem vniuersalem aut ineant aut stabiliant; vti nunc Cameracum plerarumque E V R O P E Gentium legati ad pacem inter eas confirmandum confluunt; porro si respublica, quæ Legatos mittit amico fœdere cum ea coniungitur per cuius terras Legatis transeundum est; nisi forte cognitum exploratumque respublica habeat

beat quæ aperire transitum debet, nec vano ducta augurio existimet causam illius Legationis comparata esse ad salutis suæ & securitatis detrimentum; tunc enim interspienda ipsis via est; idem si hostis est, cuius legati transitum poscunt, respublica, fieri oportet, ne illa fœderibus firmata euadat potentior & metuenda magis. Sed de transitu Legatis concedendo aut denegando vt & de admittendis aut recusandis Legatis regulas necesse specialiores non ita facile dabitus; quippe quæ ex circumstantiis, si eiusmodi quid eueniat djiudicandumque sit, & salutis publicæ rationibus ceu principiis vniuersalibus petuntur evidentissimæ.

§. LVIII. Pergo; Quum nefas sit irritas redere, quæ admitti debuere, legationes (§. 56.); nec eas sine causa eiicere et finibus suis imperantibus licet. Causæ vero idoneam expellendorum Legatorum rationem subministrantes; illæ sunt omnes quæ salutis publicæ fundamentis innituntur; Quando itaque nulla pœnarum terribilamenta alicuius apud Legatos momenti esse, nec, vt illi a lædendis ciuibus, turbis commouendis ac follicitandis ciuium animis abhorreant, efficere intelliguntur, exterimandi sunt legati ac interdicendum ipsis commoratione in terris publicæ rei; Deinde expelli eos interest salutis publicæ quando futurum imperantes vident vt bellum sibi cum eo qui misit Legationem, exardescat; ne, quæ secreta esse oportebat, ea expiscati diuulgent; Porro, interdum sociorum causa ægre ferentium cum hoste coli amicitiam, continget vt eiusmodi quid in Legatos decernendum sit, & etiam ex aliis causis quas præbent salutis & securitatis publicæ rationes.

H 2

§. LIX.

Non sunt lit-  
tere interci-  
pienda ad le-  
gatos directe.

§. LIX. Quæ cum interdicant imperantibus ne-  
sint legationibus, quæ admittendæ fuerunt, impedi-  
mento (§. 56.) consequitur ex iisdem rationibus arceri  
imperantes a litteris, quæ ad legatos directæ sunt per-  
tinentes ad legationis negotia, intercipiendis; nec  
itaque alias quascunque intercipere licitum ipsis est  
quia (I) quæ demum litteræ res legatis ad expedienda  
negotia scitu necessarias secum ferant, nesciunt; nec  
(II) quæ fieri nobis ipsi nolumus, erga alios agenda  
nobis sunt. Interim, vt intercipiantur litteræ ad  
legatos directæ necessarium quandoque fieri ex fa-  
lutis publicæ rationibus non eo inficias; v.gr. quan-  
do futuræ seditionis metus exsurgit, aut vitæ & for-  
tunis imperantium insidias a Legatis strui comper-  
tum est, vt exinde intelligere maleuola male sen-  
tientium consilia contingat. Quo iure Augustissi-  
mum REGEM. MAGNÆ BRITANNIÆ, cum na-  
scerentur seditiones in regno; & conspirarent sub-  
diti ad Prætententem, quem vocant, in solium eue-  
hendum; vsum saepius fuisse accepimus (\*)

De honori-  
bus quæ fo-  
lent deferri  
legatis.

§. LX. Obligandos esse ab imperantibus sub-  
ditos, ne illi impedimenta obiciant aut plane tur-  
bent Legationes quæ admittendæ in rempublicam  
fuere; non potuit non ex antedictis (§. 56.) qui ea  
bene pensitauerit, me non monente intellexisse;  
nam, ne impedianter aut irritæ prorsus reddantur  
legationes, ad id vero annitendum est Principibus qui  
rerumpublicarum gubernacula moderantur. (§. cit.)  
Inde vero ratio repetenda est honorum quibus affici

Le-

(\*) Conferatur CASSIVS in saepius laudato opere Scđt. II. §. 49.  
aliique.

Legationes solent, ac solennitatum quibus excipiuntur legati; posteaquam admissio eorum decreta est. Cum vero contingat interdum ac postulent dignitatum eminentiorum, in quibus legati alii præ aliis constituti sunt, atque salutis etiam publicæ rationes; vt aliis legatis illustriores honorum cultus, & bonæ mentis demonstrationes ac aliis exhibeantur; ideo facile est ad animaduertendum quare debeant imperantes legatos, qui mittuntur cum *Charactere representativio* eisdem honoribus prosequi ac eorum Dominos solent, nam efficiuntur actus, ad quos veniunt, solenniores; Et quo magnificentiora sunt apud Principes & Imperantes omnia, eo Numen eorum subditi sanctius colent ac venerabuntur; id vero quam etiam pertineat ad salutis publicæ decus & ornamentum nemo fortassis non videt; deinde cum officium hoc, quod ab Imperantibus persolvendum legatis dixi, innoxiae sit, quod vocant, vtilitatis, quid impediret, quo minus illo defungentur. Ast vero quia difficulter finges regulam ab omni immunem exceptione; nec negauerim fieri posse, vt minus quandoque consultum videatur concedere legatis, honoribus, quibus prosequendi sunt domini illorum; iisdem eos etiam perfungi; h. e. legatis cum *Charactere representativio* missis eodem honorum cultus deferre ac solent ipsorum Dominis præstatari, v. gr. illis qui ab eo veniunt ad rempublicam cuius legatos is male habuit aut non debitis honoribus prosequurus est. (§. 35. num. 4.) Vnde tandem illud consequi, persuasissimum sum; quia penes Principem etiam esse, ad quem mittitur Legatio ex ante dictis elucescit; statuere, an legatus tam præclaris honorum or-

H 3.

namen-

namentis decorandus sit concedendumque ei ut illis decoribus perfruatur; vt non pleno fulgeat iubare Charakteris repräsentatitii Legatus, nisi adplaudente Princepe ad quem missus est; Qui enim si negauerit, quod iure interdum potest, legato ea honorum ornamenta, eique illis interdixerit; profecto Legato non licet perfrui eisdem; adeoque nec iure eo gaudet in quo consistit *Charakter repräsentatiuus* (§. 7. 12.); Atque hoc demum sensu, quæ dixi (§. 7.) dependere etiam aliquatenus a Princepe, ad quem venit legatus, vt hic fulgeat repräsentatio Charactere, intellecta acceptaque cupio. Ex quibus vero omnibus palam redditur quid sibi velit *mittere Legatos cum Charactere repräsentatiio*; nimirum cum nec sine consensu illius Principis, cuius negotia gerunt, legati tantis frui honoribus, qui principi ipsorum Domino competit, non debeant; quamvis eosdem ipsi deferre Principes, ad quos mittuntur, intendant; ideo, qui mittit legatos huiuscmodi, Princeps consentiat oportet (1) vt legati tantos acceptent honores; ac inde (II) non in gratiam sibi rem futuram declaret si legati tantis honorum ornamenti exornentur; plus enim iuris legatis cum Charactere repräsentatiio tribuere, non esse in Principum mittentum arbitrio positum, ex antea dictis eluescit. (†) Solennitates vero ac cérimoniarum ambitus in excipiendis admittendisque legatis usurpari solitos recensere hic supersedeo; cum quia alienum id est ab instituti meirationibus, tum quia has partes iam occupauerunt FÜRSTENERIVS (\*).

FRIDE-

(†) Conf. B. COCCETI diss. de repräsentatiua legatorum qualitate.

(\*) De iure suprematus Capitibus L. & LV. ac seqq.

FRIDERICVS de MARSELAE R (\*\*\*) WIQVEFOR  
TIVS (\*\*\*\*) aliique (\*\*\*\*\*).

§. LXI. Ut caste venerentur & sanctissime De priuatis  
colant supremum, quod rebus humanis præsidet, sacris Lega-  
tum, ac quam ipsi debent, pietatem externis torum,  
etiam actionibus manifestent; ad id vero, sicuti o-  
mnes; quibus DE VS quemadmodum Poeta (†)  
canit;

*Os sublime dedit, cælumque tueri  
Inſit, & erectos ad ſidera tollere vultus*

ita etiam legati ſunt obligatissimi; Quo autem ve-  
nerationis & obſeruantillimæ pietatis cultu cum de-  
functi non poſſint, niſi ſecundum religionis, quam  
profitentur, doctrinas ac principia; itaque, neutiquam  
licere Imperantibus, ad quos legati veniunt, nec ius  
adſcribendum iſpis eſſe, interdicendi legatis eorum-  
que comitibus cultu diuino iuxta religionis, cui de-  
derunt nomina, inſtituendo, ex his omnibus elucentur,  
Quare, quia ſacra priuata appellant; exercitium uni-  
versi diuini cultus, nec publicis in locis, nec publicis  
impensis celebrandum (\*); conſequitur fane ut lega-  
tis cuiuscunq; ordinis priuata ſacra ab imperanti-  
bus reipublicæ, in qua commorantur, permittenda  
fint,

(\*\*) In Legato Diff. XII. Lib. II.

(\*\*\*) Dans ſon Ambaſſadeur.

(\*\*\*\*) Quos vide in illuſtris. FRIDERICIANÆ Cancellarii Do-  
mini de LVWIG trahatu de iure adlegandi ordinum  
S.R.I. §. VI. proemii.

(†) OVIDIVS metam. lib. I.

(\*) Vide Illuſtris BOEHMERI diſſert. de priuatis legatorum ſa-  
cris Cap. I. §. XIV. cuius viſus ſum definitione ſacrorum  
priuatorum.

sint, quando illi quidem diuersam, ac in republica, in qua subsistunt, toleratur, religionem profitantur; ius ergo Legatis competit *sacrorum priuatorum*; Non hic quis obiciat, exinde quod Legati operam dare omnibus in locis cultui diuino iuxta principia religionis, qua innutriti sunt, debeant; consequi saltem, ut sacra ipsis domestica relinquenda sint, priuata nequaquam; ad quæ etiam *administratio* pertinet *Sacramentorum*; falluntur enim meo quidem iudicio quicunque hæc existimant; Cultus diuinus administrationem etiam *Sacramentorum* sub se complectitur; neque vero licet imperantibus, impedire legatos, quos receperunt quo minus hoc cultu defungantur; cum autem illi essent impedimento futuri, si ipsis diuersæ addictis religioni, ac toleratur in republica ad quam venerunt, interdicerent *Sacramentorum* administratione & rebus reliquis quæ ad sacra priuata referuntur; quis, secundi ordinis priuata sacra? Nam, quæ Auctor *anonymus* quidam, cuius scriptum (\*\*\*) ANTONIVS EABER (\*\*\*\*) recenset, existimat; ex Charaktere legatorum repræsentatitio dependere ius *sacrorum priuatorum* legatis debitum, adeoque saltem iis, qui sunt primi ordinis, concedendum; illa vero, ne quid durius dicam, ab omni prorsus ratione abhorrent; Cum enim in iure fruendi honribus præcipuis consistat Character repræsentatitius; honores vero ad ceremoniarum solennia pertineant, quis

(\*\*) Quod inscribitur de prærogatiis Legatis debitis ex communione gentium consensu

(\*\*\*) In der Staats-Congley Tom. XIV, p. 220.

quis tandem adeo peruersæ rationes subduxit suas, ut  
sacra inter ceremonias locum obtinere existimauerit  
vnquam? Potius; quia eadem est ratio in legatis  
tam primi quam secundi ordinis; igitur etiam sacra  
priuata vtriusque ordinis Legatis relinquenda sunt,  
monente illustri BOEHMERO (\*\*\*)<sup>1</sup>. Nec, porro,  
impetrare a me possum ut eorum suffrager senten-  
tiae; qui exinde demum, quod Legati non sint reipu-  
blicæ subiecti, intra cuius pomoeria subsistunt, conse-  
qui opinantur, vt ius sacrorum priuatorum ipsis  
permittendum sit; Nam (I) gaudere Imperantes,  
iure Legatos, quos receperunt, suo subiiciendi impe-  
rio id vero in antecedentibus Cap. II. est stabilitum;  
Deinde, (II) cum exploratum habeam, ne iure qui-  
dem gaudere imperantes interdicendi subditis exerci-  
tio religionis iuxta principia eorum, quibus innutriti  
sunt, instituendo; (quia a) nec Leges conscientiæ eorum  
scribendæ nec b) arcendi illi sunt a diuino cultu, quo  
quidem non debent nisi ex religionis, cui nomina  
dederunt, principiis defungi;) conficitur sane vt,  
qui persuadent sibi Legatos non esse obnoxios re-  
rum publicarum, ad quas venerunt, imperio; fru-  
stra in eo rationem querant iuris sacrorum priua-  
torum Legatis permittendi; nam primum hinc fo-  
ret, cum impedire Legatos, quo minus cultu diui-  
no secundum religionis principia, quæ imbiberunt,  
instituendo defungantur, ideo nefas sit, quia non  
sunt subditi; prohiberi demum subditos posse ne ope-  
ram dent exercendæ, quam profitentur, religioni;  
atque nec huic sententiæ suffragandum est, nec ipsi

I

aliter

(\*\*\*) In Dissertatione laudata Cap. II, §. XV, XVI, XVII, &  
seqq.

aliter sentientes concedunt calculos; quocirca aliam esse juris sacrorum priuatorum, quod adscribendum Legatis est, rationem suppeditandam elucescit; quam vero an consecutus fuerim verioremque dederim nec ne, aliorum esto iudicium. Quod vero juris sacrorum priuatorum fundamentum, cum in eo consistat, quia interdicendum Legatis non est cultu diuinii NVMINIS congruenter conuenienterque religioni, quam amplexi sunt, celebrando; ideo efficitur, vt, si, ea, quæ Legati sacra sequuntur, in republica, ad quam missi sunt, publica auctoritate tolerentur; tunc demum dependeat ex imperantium arbitrio, num Legatis, ius priuatum cultus diuinii exercitium habendi relinquere velint; nec ne; nam sacris, quæ, in ea re publica florent, interesse publicis illi possunt, adeoque non prohibentur cultu DEI vniuerso defungi. Quamuis vero concessis priuatis sacris, ea omnia videantur concessa, sine quibus haberi illa nequeunt; cum tamen ex salutis publicæ rationibus metienda sint vniuersa, nec, quæ *adiaphora* dicuntur, ea ad essentiam cultus pertineant itaque nec negauerim, Legibus hæc adiaphora sacrorum priuatorum, quæ Legatis permissa sunt, circumscribi ab imperantibus posse; nec illicitum adseuerauerim, quando salutis interesse publicæ visum fuerit; arceri alios subditos a sacris frequentandis Legatorum: Plura inuenies apud illum *BOEHMERVM* in laudata dissertatione.

**Constatia.**

§. LXII. Obligari Legatis, qui recepti sunt, imperantes ex hac tenus allatis appareat; vt securos eos reddant (§. 52.) ne impediant eos defungi concredita Legatione (§. 56. & seqq.); vt honoribus debitibus prosequantur

tur (§. 60.); ut diuersæ addictis religioni, ac in repub-  
lica, ad quam missi sunt, toleratur, priuata sacra  
permittant (§. 61.); & reliqua ipsis officia, quæ ex  
his omnibus dependent, persoluant. Cum itaque  
saueti Legati sint & inuiolabiles (§. 50.); ac ideo impin-  
gendum imperantibus non sit in hæc debita legatis of-  
ficia, quia eos lædere non debent (§. cit.); Cumque vio-  
lent hæc officia, concedentes subditislicentiam læden-  
dorum legatorum, impediendarum legationum, tur-  
bandorum sacrorum, quæ Legatisconcessa sunt &c;  
consequens est vt ab his omnibus subditos seueris arce-  
re pœnis illisint obligatissimi; Deinde hæc omnia ab  
imperantibus officia postulandi iure gaudent legati,  
quemadmodum (§. 12.) euictum est probatumque.  
Quia vero inter iura Legatorum referenda non sunt,  
quæ non ipsis licent, i. e. quæ naturæ legibus, quæ  
saluti & securitati publicæ rei, in qua degunt, con-  
trariantur (§. 16.); inde sequitur vt nec *iurisdictio in*  
*comites*; nec *immunitas a soluendis vedigalibus* Le-  
gatis competit; nec ius asyli ædibus eorum adscri-  
bendum sit; singula in sequentibus probabuntur,

§. LXIII. Quum Imperantibus, in omnes Non compe-  
commorantes in terris eorum, exinde iurisdictio tit Legatis  
adscribenda sit vniuersa; quia penes eos est re- Jurisdictio in  
gere ac moderari rerumpublicarum, quibus præ-  
funt, gubernacula (§. 20. & seqq.); conficitur vt (I) comites,  
iurisdictio inter regalia suum locum obtineat (§. 10.)  
& (II) vt in rebuspublicis nemini competit aliqua iu-  
ris dicundi potestas, nisi quibus ab imperantibus  
permitta est, i.e. qui ea regentium nomine defun-  
guntur; Quoniam, porro, Comites Legatorum,  
eiusdem, publicæ rei, intra cuius limites re-

periuntur, eorumdemque imperantium iurisdictioni obnoxios esse euictum est stabilitumque (§. 35. num. 1.) ; ideo , an iurisdiction Legatis in familiam suam competit, illud ex concessione pendere illius apud quem agunt, euidenti ex his omnibus ratione elucescit, quæ & GROTIUS (\*) amplectitur ; Sed cum nullas rationes idoneas, meo quidem iudicio, in partes suas vocauerit ; BYNKERSHOEKIVM (\*\*) in diuersam a GROTIANA sententiam ingressum, rationes suas congruenter principiis, quæ adoptauit, subduxisse, illud equidem nemini videri mirum debet. Cum enim Legatos ab omni foro loci, in quo agunt, immunes esse; ac familiam Legati, iurisdictionem sequi illius, persuasum habeat; non potuit non iudiciis accedere eorum, qui comites Legatorum, iurisdictioni subiiciunt mittentes legatos, a quo etiam illa, si legato competere debeat, impletanda sit. Ast vero probatum, nisi me omnia fallunt, dedi Cap. II.; subesse & comites Legatorum & ipsos Legatos, reipublicæ, apud quam Legatione funguntur, imperantibus eorumque iuris dicundi & exercendi potestati, ex quibus uno istu BYNKERSHOEKIANA concidunt argumenta; Cumque idem jurisdictionem criminalem Legatis in familiam ipsorum neget permittendam (\*\*\*) ; quia concedere illos aliquo supremæ potestatis iure per-

(\*) De iure belli & pacis Cap. XVIII. Lib. II. §. VIII. *num. 2.*  
Confer. Domini FLEISCHERI ius nat. & Gentium Lib. III.  
Cap. XV. §. XIX.

(\*\*) De Iudice Legatorum Cap. XV. §. I. - III. & seqq.  
(\*\*\*) In eodem Cap. §. III. *in fine.*

perfrui periculoseum sit; nescio sane qua ratione ductus ciuilem ipsis tribuat; ciuilis enim & criminalis iurisdictionis eadem est ratio; vtraque ex supremo imperantium iure regendi rempublicam dependet.

¶. LXIV. Quum igitur non gaudeat Iurisdictione Legatus in familiam suam (§. 63.); multo minus ea ipsis in illos competit, qui quondam in imperantium, cuius Legati negotia gerunt, terris commorati, nunc intra publicæ rei, ad quam missi Legati sunt, limites reperiuntur: Quum enim iuris dicundi & exercendi ius & potestas imperantibus in omnes, qui in eorum terris degunt, adscripta sit (§. 30.); adeoque, qui nomine principum fungi ea debeant; illud vero ex concessione pendeat illorum (§. 63.); ita vero consentaneum est his rationibus, Legatos omni iurisdictionis iure, nisi illud quidem ab impetrantibus, apud quos obeunt Legationem, impetraverunt, esse destitutos; quia nec ulli reipublicæ ius competit exercendi in alterius publicæ rei terris iurisdictionem. Quamuis vero, consueisse singulas respublicas, iuri per *consules*, quos vocant, illis, qui antea apud eas erunt, dicundo, etiam in aliarum publicarum rerum terris operam dare, id urget BYNKERSHOEKIVS (\*); non me tamen hæc a sententia, quam amplexus sum, transuersum, quod aiunt, vnguem dimouent. Nam (I) ab eo quod contingit ad id quod debet fieri & iuris est non ducendum consecutio-

cutionis filum censeo: & (2) exercendæ iurisdictionis ius competere consulibus sine imperantium, in cuius terris ius dicunt, concessione, id vero ut credam adduci me non patiar. Simul ac enim quis extra reipublicæ, in qua antea egerat, terras constituitur, cessat esse eius subditus imperio. Nam illius soluitur potestate; Et qui non est in reipublicæ potestate positus, eum illa nec afficere pœnarum cruciatibus, nec adigere potenti manu contradicentem ad obeunda, quæ debet, officia valet; nec ideo, eum obligationibus constringere, in illius est viribus situm; quoniam qui obligari a republica debet, ille conuictus sit necesse est, de reipublicæ, pœnas sibi infligendi & se ad officia compellendi potestate (§. 28.) Cuius vero, cum ille, qui extra rempublicam constitutus ac ideo immunis est a potenti illius manu, persuasus non sit, i.e. nec pœnis in se a republica, ex qua excessit, animaduersum nec se adactum iri ad officiis defungendum habeat exploratum, itaque qui emigravit e republica non legibus illius, ex qua egressus est, publicæ rei obligatur; Cuius porro, publicæ rei legibus non teneor, illius nec sum subiectus imperio (§. 29.); ex quibus, qui ex altera republica in alteram concesserunt, perperam illius, in qua antea commorabantur, tamdiu extra eam constituti sunt, subditos dici, patet euidentissime; Quum vero ex altera euntes republica ad alteram, in illius, cuius terras ingrediuntur, potestatem veniant, subditos effici eiusdem posse, me non moveante, cuius facile est ex ante dictis ad animaduentum. Quibus præstructis, cum neminem esse subditum reipublicæ, in qua non commoratur, eu-

NI & IX. q. 3. Qum

LEGATORVM.

Etum sit; nec vero in rerumpublicarum potestate  
situm esse elucescat, ius aliis dicere quam qui obno-  
xii ipsarum sunt imperio; inde quidem conficitur,  
vt nec *consulibus*, quos vocant, adeoque nec Legatis li-  
citem sit, in eos, qui in republica, a qua missi sunt, an-  
tea egerunt, exercere iurisdictionem; nisi id quidem  
Principes, in cuius terris ex aliis rebus publicis qui-  
dam commorantur, permiserint. Vnde sane, quod  
in *consulum* iurisdictione aliqui pro stabiliens  
da sua de Legatis sententia præsidium querunt,  
imbelli illud sane immo nullum est.

§. LXX. Pertexo, quam orsussum, telam;  
illa adhuc dum quæstio agitatur num Legatis, a ve- <sup>Legati non  
immunes</sup>  
tigalibus tributisque, reipublicæ, in qua subsistunt; sunt a tribu-  
soliuendis debeatur immunitas? Quum ve*tigalia* tis.  
exigantur ad impensas, quas principes securitati ac  
commoditat in via publica stabiliens impendunt,  
refundendas; cumque tributa omnia ad amplifican-  
dum salutis publicæ incrementum comparata sint;  
Ac vero Legati etiam vt promoueant salutem pu-  
blicam (§. 25.), vtque obseruent Leges illius publi-  
cæ rei, in qua commorantur, obligandi sint (§. 27.);  
quis vero ex his omnibus consequi non animaduer-  
teret, vt teneantur Legati ad ve*tigalia* & tributa,  
quæ leges definierunt, omnia publicæ rei, in  
qua degunt, repræsentanda? nisi ab imperantibus  
consequuti illi sint a soluendis eis immunitatem; quæ  
autem non ita facile concedenda legatis est, si qui-  
dem eosdam ea abusos sèpius fuisse ex historiarum  
monumentis constat. (\*) Ex probatis vero quum  
palam

(\*) Vid. Cap. XIV. BYNKERSHOEKII de Iudice Legatorum & no-  
tas BARBEYRA. CII, ad hoc caput.

palam fiat, licere imperantibus, Legatos, vt soluant, quæ in merces imposita sunt, onera ac tributa, constringere Legumque obligatione adducere; inde illud intelligitur, ne illi defraudent telonium ac versuram faciant, propterea vestigatoribus ciuitatis facultatem esse quandoque permittendam ab Imperantibus scrutandi res, currus, nauesque Legatorum; si nimirum non leuia indicia legatum animi ad circumuenientium vestigalia propensi arguunt; alias enim dignitatis illorum eminentis habenda est ratio; Perperam vero hac ratione laedi Legatos opponitur. Nam qui vtuntur iure suo, non agunt contra officia debita aliis, adeoque laedunt neminem; atque imperantes, dum inuestigari res Legatorum iubent ex rationibus publicæ salutis; ne defraudentur vestigalia, nec adportentur vetitæ merces in rem publicam; vtuntur iure suo; vnde tantum abest, vt laedant principes Legatos, quorum perscrutantur allatas merces, vt potius compellant eos adducantque ad officia reipublicæ, quam ingrediuntur, debita persoluenda.

Nec Ius asyli Legatorum concussa veritas, non Imperantes laedere Legatos, ad eis debibus com- uersus quoslibet suorum prærogatiis vtuntur; inde demum consequitur, perperam inuiolabilitatem sibi debitam in partes vocare Legatos, penatibus suis asyli ius vindicatueros; quia nempe principes ad clauum sedentes reipublicæ, vt prehendant, in quibuscunque terrarum suarum angulis lateant, criminum reos, ad dignis scelerum poenis afficiendos; ad id vero ex naturalium Legum & salutis publicæ rationibus sunt obstrictissimi. Nam, quum non minime

mum salutis & securitatis publicæ momentum in eo possum sit, ut, qui eam i.e. Leges ad hunc obtainendum finem salutis publicæ comparatas violauerunt, eisque subiuerteris machinati sunt insidias; illi statutas in legibus pœnas scelerum vindices subire cogantur; cumque hoc puniendo delinquentes Ius imperantibus in ciuitate competit: ideo sane tam est certum quam quod certissimum, licere imperantibus, criminum in rebus, quas regunt, publicis commissorum reos, quo cunque eos loco in terris suis offendant, prehensos ad merita trahere suppicia; nec inde laribus legatorum deberi priuilegium asyli, vi cuius, qui in eis latebras querunt, confugia, occultationes, tuti sint a pœnis delictorum, quæ patraverunt, persecutoribus. Sic enim, quum futurum esset, ut inulta impunitaque multa scelera abirent; non posset non effrenatior fieri peccandi pruritus, ac frustra in rebus publicis ciues securitatem, siquidem quæ nulla foret, quererent. Vnde; cum principibus ad promouendum securitatis publicæ incrementum omni cura annitudine sit (§. 20. & sq.), appareat, eos contra officia, ad quæ erga publicam rem, quam regunt, naturæ Legibus obligantur, agere, tolerantes asyla in terris suis: Evidem HVGO GROTIUS (\*) cui BYNKERSHOEKIVS suffragatur (\*\*) an Legati Ius asyli in domibus suis habeant pro quibus vis eo confugientibus ex concessione, inquit, pendere illius apud quem agunt, adeoque concedi a Principibus asyla posse, persuadet sibi; cum haec autem gratis dicat, non potui non ab eius sententia facere diuorum;

K

tium;

(\*) Cap. XVIII. lib. II. §. VIII. num. 2.

(\*\*) Cap. XXI. in siepius laudato operæ §. I.

tium; Nec mihi hic opponenda sunt asyla Iudeorum ab ipso NVMINE imperata (\*\*\*) : in quæ qui se contulerant, illi tuti erant aduersus persecutores vindictum manus, ac in iis vsque ad mortem Pontificis maximi commorabantur (\*\*\*\*), nam hæc vero illis demum, qui ex improuiso i. e. nil tale quid cogitantes interemerant aliquem, impunitatem homicidii largiebantur. Quam, porro non sit adscribendum Legatis asyli Ius i. e. Ius arcendi ab ædibus suis inuestigatores delinquentium, quos occultauerunt; illud etiam ex his intelligi datur, quia nullo gaudent iure Legati, eximendi subditos criminum reos reipublicæ, cui subsunt, iurisdictioni; vtpote ipsi obnoxii illius, in qua commorantur, ciuitatis potestati. Atqui hæc de asylorum iure penatibus Legatorum competente celebratissima illa est & tot agitata sœculis controversia, quæ non solum scripta doctorum occupauit, sed quæ diu etiam aulas Principum resque publicas, tenuit. Neminem fugiunt illæ ROMÆ inter legatos in primis Gallicum MARCHIONEM LAVARDINIVM & Pontificem INNOCENTIVM XI. ancipi diu fortuna & magnis animorum motibus agitatæ contentiones, quæ eum tandem exitum consequutæ sunt, vt nunc nullis legatorum ROMÆ commorantium ædibus asylorum iura a pontificibus relinquerentur; consule, si placet THEATRVM EVROPÆVM (†) illustres BYNKERSHOEKIVM

(\*\*\*) Num. XXXV. 9. - 22. & Ios. XX. 1. seqq.

(\*\*\*\*) Confer RELANDI antiquitates sacras parte II. Cap. VI. §. 10. & CHRISTIANI SCHOETGENII Lexicon antiquitatum Germanicum pag. 138. aliosque plures.

(†) Ad annum MDC. LXXXVII.

KIVM (††) THOMASIVM (†††) nec non  
CASSIVM (††††) aliosque complures (†††††).  
Hæc autem de iuribus legatorum dicta sufficient.

## CAP. IV.

ALITER SENTIENTIVM RA-  
TIONES PONDERANS.

## §. LXVIL

**R**Elíquum est, vt adeas tandem aliter sentientium rationes, quibus suam de Iuribus & Iudice Legatorum sententiam firman stabiuntque, cogitationes & calamus inflectam; HVGONIS GROTI primum, dein BYNKERSHOEKII & STEPHANI CASSII ac aliorum, quæ ponde ris aliquid habent, obiectiones æquis lancibus appen- fas, quantum est in me, trutinaturus.

§. LXVIII. Quum autem conspirent GRO- Fundamenta TIVS (\*) & BYNKERSHOEKIVS (\*\*). & qui in Grotiana & eorum sententias iurauerunt; in Gentium iure, Bynkershoe- quod voluntarium & ex vniuersali Gentium kiana velli- cantue.

K 2

CON-

(††) De Iudice Legatorum Capite XXI.

(†††) In Diff. Lipliz habita de iure asyli Legatorum ædibus competente.

(††††) Seſt. II. §. 94. de iure & Iudice Legatorum.

(†††††) Quos vide apud BYNCKERSHOEKIVM. Cap. XXI.

(\*) §. I. & IV. num. 2. Cap. VIII. Lib. II. de iure belli & pacis

(\*\*) §. X. Cap. XXIV. de Iudice Legatorum in primis Cap. XVII. §. X-XII. Cap. XVIII. & XIX.

consensu proficiisci sibi persuadent (\*\*); continerunt rationes Iudicis Legatorum, iuriumque quae ipsis competit; ac vero nullum dari a naturali diuersum Ius Gentium, id quidem (§. 15.) euictum derim; facile est ad intelligendum, quam lubrico ea fundamento, quae de Iudice & Iuribus docent Legatorum, innitantur. Quid? quod, nec Gentium, ius, quod fingunt, multum largitur præsidii eorum sententiae; siquidem sat multa exstant exempla in partem utramque (†); Cumque BYNKERSHOEKIVS exempla, quae contraria adferuntur, iniustitiae

(\*\*\*) GROTIUS Lib. I. Cap. I. §. XIV. & in prologomenis §. 40.  
Quam autem hoc loco rationem suppeditat ad euincendum dari Ius Gentium eiusmodi quale dixerat in antecedentibus; nimur quod ex certis principiis certa argumentatione deduci non possit, & tamen ubique obseruantur appareat, id necessario ex libera voluntate ortum habere: illa vero mihi quidem non facit satis, nec scrupulos euellit ex animo; Siquidem (I) omnes actiones naturæ Legibus determinatas esse i. e. vel conuenire cum eis vel contrariari eisdem persualissimum sum, ergo quæcunque a gentibus obseruantur, ea rationes suas in hisce naturæ legibus habeant necesse est, adeoque ex certis principiis possunt certa argumentatione deduci; & (II) quamvis, omnes actiones ex libera voluntate ortum habere, indubitatum sit; non tamen inde efficitur, vt, quia ab his vel illis gentibus haec vel illa obseruantur, ideo ad eadem etiam gentes aliæ obligentur; quæ tamen euincendi partes suffissent GROTIIS, secundum datam ab ipso §. XIV. Lib. I. Cap. I. iuris Gentium definitionem. Contrarium dedi euictum (§. 15.)

(†) Quæ vide apud RICHARDVM ZOVCHEVM de legati delinqentis indice competente, Cap. VI. & BYNKERSHOEKIVS Cap. XVIII. & XIX. §. VI. Cap. XI. §. 10. & multa etiam

stitione insimulet (††) non obscure innuit gentium ius, quod comminiscitur nullum esse; nam inde consequitur, ut ea ex quibus gentium consensu colligendus est, simul esse debeant iustitiae regulis congruentia, quae autem iusta sunt, ea legibus innituntur (§. 22.); iam vero gentes non aliis ac naturalibus legibus obnoxii sunt; adeoque ipse sibi BYNKERSHOEKIVS contrarius est. Immo ipse GROTIUS, quae profert in medium, in conjecturarum loco habet, (†††) quae verosimiles saltem rationes continent non certas non indubitas; unde illa eo facilior in negotio e via remouebuntur.

§. LXIX. Quæ autem LIVII (\*) & SALV-  
STII (\*\*). Iudicia GROTIUS (\*\*\*) & BYNKER-  
S-  
HOEKIVS (\*\*\*\*) in partes suas vocant, ea vero ad summa a pri-  
rem nihil conferunt: cum non autoritatibus conten-  
dendum sit sed rationibus; cumque illa eorum sen-  
tentiis non obscure contrariari euictum B. COCCE-  
IVS (\*\*\*\*\*) dederit. PRIMVM VERO GROTIANÆ ar-  
gumentationis momentum in eo situm est; Priui-

K 3

legia

iam exempla exhibet recens historia, vide STEPHANI  
CASSII diatriben de iudice Legatorum Seſt. I. & Prae-  
fationem BARBEYRACI ad BYNkershoekivm pag. 17.  
& WIQYEFORTIVM Lib. I. Seſt. XI. pag. 218. 279. &  
Seſt. XXVII. p. 812.

(††) Vid. Caput XIX. §. 7.

(†††) Cap. XVIII. Lib. II. §. IV. num. 2. &amp; 4.

(\*\*) Lib. II. Cap. IV.

(\*\*) De bello Iugurthino Cap. XXXV.

(\*\*\* ) In sepius citato Capite XVIII. Lib. II. §. 4. num. 3.

(\*\*\*\*) Cap. XVIII. sepius laudati operis §. IV. &amp; V.

(\*\*\*\*\*) In diff. de legato ſancto non impuni §. 2. 3. 4. & seq. Capi-  
tis III.

legia ita intelligenda, ut aliquid tribuant ultra ius commune. Quod si Legati ab iniusta tantum vi tute essent, nihil in eo magni esset nihil præcipui. (†) Quum vero non stabilitum iuerit GROTIUS deberi Legatis aliquid magni aut præcipui, sed gratis hæc ponat; hoc quidem illius argumentum omni pondere destitui eidenter patet; Esto vero deberi Legatis aliquid præcipui; vnde, illud positura in eo esse evincetur, ut Legati immunes sint ab imperantium, apud quos Legationis sparta funguntur, iurisdicione? Consentio deberi Legatis præcipua honorum decora (§. 16.); admitto Legatos & eos etiam, qui ab hoste veniunt, naturalium Legum præsidio adversus maleulos lædentium insultus communiri (§. 50. & seq.); Imperantes & subditos reipublicæ, intracuitus pomœria legati subsistunt, ad plura ipsis per soluenda officia, obligationum, quæ a natura proficiuntur, vinculis adstringi Cap. III. stabilitum a me est; Ast hæc nego exinde confici cogique posse non obnoxios esse Legatos imperantium, ad quos veniunt, dicundi iuris potestati.

Soluitur illa  
II. quæ fun-  
datur in in-  
uiolabilitate  
Legatorum.

§. LXX. Nam, quamuis perget GROTIUS (\*)  
securitatem Legatorum utilitati, quæ ex pœna est,  
præponderare, ac paulo post (\*\*) illud præceptum  
sanctimonie Legatorum appellitet; quamuis adeo ex  
inuiolabilitate, quæ debetur Legatis, descendere hoc  
ius immunitatis a foro loci, in quo commorantur  
persuasus sit; non hæc tamen firmo innituntur fun-  
damento.

(†) Cap. XVIII. §. IV. num. 4.

(\*) In citato capite §. IV. num. 4.

(\*\*) num. 6. eiusdem §.

## RATIONES PONDERANS.

damento. Quid enim sanctitas & inuiolabilitas Legatorum aliud innuit, quam non eos offendendos esse lesionibus (§. 50.)? Cum vero lādere & violare aliquem significet agere contra debita alicui officia (§. 12.); profecto, sartam tectamque conseruari, quae Legatis debetur, inuiolabilitatem, quando non impingunt imperantes nec subditi illius, in qua Legati commorantur, reipublicæ, in debita ipsis officiis illud tam certum est quam quod certissimum; Iam vero cum debita legatis officia non violent imperantes, qui aduersus Legatos iurium suorum prærogatiis utuntur; cumque qui rerumpublicarum gubernacula moderantur, illis in Legatos in terris ipsorum degentes, iurisdictionis ius adscribendum sit (§. 30. & seqq.) inde ex necessaria consecutione hæc conclusio conficitur; quando exercent imperantes, quorum in terris agunt Legati, in eos iurisdictionem; nihil fieri diminutionis de securitate & sanctitate Legatorum. Conferunt aliquid ad eneruandum robur GROTTIANI argumenti B. COCCII rationes (†) mirant vero, inquit, si quis collata securitate Legati, cum securitate principis ac rei publice, illam huic preferre haud erubuerit, & magis prospectum vellet personæ Legati, quam toti ciuitati eiusque Principi apud quem degit. Quid enim non metuendum Principi ab hostiis ministro, qui Legati iure prope domesticus est; animo quem hostilem retinet, hostis; impunitatis fiducia ferox & tumidus? Quid non ausurus est Legatus in principem ac rempublicam hostilem, cui occasio & impunitas

(†) Quæ habentur in Diff. de Legato sancto non in puni Cap. III.  
§. VIII.

tas audaciam accidunt, & spes promerenda Principis suæ gratiæ, animum studiumque machinandi graffan-dique acidunt? Hoc exempla Legatorum, in Regiam Anglie confirantum, docuerunt; quam ipsa quotidie prope in discriminem vitæ regnique adducta, ipsique quotidie in propriis prope laribus, cum tot periculis de omnibus fortunis dimicandum fuerit, ut ex Cand-e-no expostum est uberiorusque videri potest; cui igitur utilius est profici, principi totique reipublicæ, ut tuti, an persone Legati ut impunis sit?

§. LXXI. Quibus præstructis ea simul perspi-cue parent, (I) non lædi mutua imperantium, & mittentes Le-quæ sibi inuicem respublicæ debent, officia, quan-gatos quo-dio qui Legati ab altera mittuntur ad alteram, il-liru[m] Legati ius, ad quam veniunt, publicæ rei & imperan-subiiciuntur, tium pati Iudicia tenentur & subesse jurisdictioni; imperan-tium ad quos veniunt.

Non lædun-tur principes Legatos; multo minus officia, ad quæ mittentibus Legatos obligantur, violent: V R G E N T I B Y S vero, violari tamen jurisdictionem mittentium Legatos, qua ipsi in Legatos gaudent; in aurem dico (a) quam-di Legati non sunt potestati imperantium, quorum negotia gerunt, obnoxii, i.e. illi commorantur in alius publicæ rei terris; tamdiu Principibus illis, qui miserunt Legatos, nullam in eos jurisdictionem competere; Cum enim consistat jurisdictione in iure iudicandi de quorundam actionibus secundum Leges & ea, quæ de cœcta sunt, exequendi (§. 13.) nec vero licet Principibus mittentibus Legatos, afficere eos intra alias publicæ rei, ac cuius nomine Legatione fun-

funguntur, pomœria agentes, dignis scelerum pœnis; nec adigere ad obeunda quædam potenti manu; Cumque quæ non licent, ea nec inter iura referenda siat (§. 12.); profecto consequens est, vt interea, dum Legati in terris versantur exteræ cuiusdam publicæ rei; non gaudeant Principes mittentes, in eos iurisdictione, confer, *vitique quæ dicta sunt* (§. 64.) (b) esto vero competere Principibus, qui miserunt Legationes, iuris dicundi ius in Legatos, etiam dum illi negotiorum obeundorum causa extra rempublicam constituti sunt; non illud tamen ius lœdunt illi imperantes, quorum in potestate ac ditione tenentur Legati, vtentes aduersus hos suo iurisdictionis iure; quemadmodum comprobatum id est stabilitum- que in antecedentibus.

§. LXII. Quæ vero cum ita sint; cum non violari debita Principibus mittentibus officia, quando imperantes, ad quos veniunt Legati, hos suæ sub*Itaque bella his de causis non suscipienda sunt.*

iu*iciunt iurisdictioni, pateat euidentissime* (§. 70.); cum demum, qui ad gubernacula sedent rerumpubli- carum, eodem omnes iure in Legatos ad se venientes gaudent (§. 30. & seqq.); Inde facile cuius est ad intelligendum, quam illi quidem Principes a iusti & æqui tramite abludant, qui, ne Legati imperantium, ad quos missi sunt, subire iurisdictionem teneantur, omnem mouent lapidem & minitabundi contendunt; quando in Legatos eorum, transgressores Legum animaduersum pœnis est ab imperantibus, apud quos Legationem obeunt, aut compulsi illi sunt ad æs alienum, quod contraxerunt, soluendum &c. vt iniuriis sibi & Legatis illatis satisfiat, bellorum etiam saeva fulmina intermitantes.

L

Quum

Qum vero bellorum, quæ ob male habitos Legatos suscepta sunt, plenæ sint profanæ historiæ (\*); ideo quæri solet, quibus demum ex rationibus Legatorum causa arma licite conuenienterque naturæ Legibus moueantur? Belli Martisque discrimini res prius committenda non est, quam vbi non alia media suffectura deprehenduntur, quibus, vt, quæ altera res debet publica alteri, officia persoluantur, & vt laisionibus alteri ab altera illatis satisfiat, obtineri potest; Vnde eas tandem iniurias contra Legatos commissas, quæ vertuntur in ipsius principis & publicæ rei, cuius Legati negotia expediunt, contumeliam, nec possunt alia opera, quæ leuior est, propulsari; armis & bello vindicari posse evidens est; vix autem futurum esse mihi persuadeo, vt desint media persequendi offensiones eiusmodi leuiora, siquidem v. gr. ad manus est ius, quod aiunt, repressaliarum & id genus alia.

Solutur  
IIItria Grotii fulcit sententiam GROTIUS, illud maximum pon-  
obrectio; po- dus habet; quod pœna haberi posset (& etiam com-  
nas haberi posse per eos pelli Legatus ut officiis debitibus defungatur, contra-  
quimittunt Legatos, & cum Legibus pareat &c.) per eum, qui legatum  
misit, volentem, & si nolit, ab ipso exigi bello tan-  
quam criminis approbatore. (\*) Quæ vero vt sub-  
uertere penitus vniuersa contingat, aliqua eorum,  
quæ dixi (§. 20. & 21.) reuocanda sunt; Nimirum,  
cum naturæ Legum obligationibus Principes, qui  
res regunt publicas, teneantur, mediis omnibus,  
quæ

(\*) Vide GROTIUS Lib. II. cap. XVIII. §. XI.

(\*\*) Vide citatum sibi caput XVIII, Lib. II. §. IV. num. 4.

quæ tendunt ad promouendum salutis publicæ incrementū, applicandis sollicitam dare operam; inde consequitur vt media etiam accommodata excitare debent, quæ, ne legati lèdant salutem publicam sed vt, quantum in ipsis situm est, farta eam tectamque conseruent, efficiunt; vnde quæ ad hæc obtainenda parum aut nihil conferunt, nec ita comparata sunt quemadmodum requirunt salutis publicæ rationes, ea procul a curis Principum absunto. Esto vero fieri interdum, vt in Legatos criminum aduersus publicam rem, cuius in terris commorati sunt, commissorum reos domum redeuntes a principibus, qui eos ablegauerunt, animaduertatur; quod tamen quam raro contingat, cum & historiarum monumentis (\*\*) & rationibus (§. 35.) euincatur, ideo maxime idoneam & certissimam propulsandi amabilendique, quæ mala publicæ rei imminere a Legatis possunt, rationem Principes inire, euidens est, qui ipfi Legum vinculis coercent constringuntque Legatorum peccandi licentiam. Deinde vero (II) quum eorum Principum, ad quos Legati mittuntur, partes sunt, vt, ne rei, quam regunt, publicæ salus securitasque violetur a Legatis; nec hi officia sua & contractus, quos iniuerunt, contraueniant; dent operam; adeoque iure gaudeant, mediis omnibus, quæ ad hunc finem tendunt & posita sunt in eorum manibus,

L 2

bus,

(\*\*) v. gr. qua pœna affectus CELLE MARIVS legatus Hispanicus ad Gallos Conspirationis lutetiis Parisiorum ALBERONIUS instinetu excitate, cum domum rediret? qua BERNARDVS MENDOZA sceleratarum machinationum ad exteros in ANGLIAM inducendos & reginam deturbandam? plura dabit exempla recens & vetus Historia vid. CAMPDENVM, RICHARDVM ZOVCHEVM aliquosque.

bus, vtendi (§. 20. & seqq.); profecto non tenentur hoc, quod penes ipsos est, iuris aliis relinquere; quod tamen cum futurum esset, si Legatos violatores publicæ salutis puniri a Principibus mittentibus compellique ad officia contradicentes curarent; (siquidem illi tunc principes, ne legati, quos miserunt, lèdant publicæ rei, ad quam veniunt, salutem forent effectori) itaque non obligari Imperantes, ad legatos principibus, a quibus veniunt, remittendos, vt ab iis pœnis afficiantur &c; illud vero ex his omnibus cuique facile est ad intelligendum. Quid? quod si hæc, quæ contra GROTIUM disputauit, nullius essent momenti aut ponderis; sufficeret tamen ad GROTIUM eneuandum; Imperantibus Ius *omnibus* mediis vtendi competere quæ tendunt ad hunc finem salutis publicæ ne legati lèdant eam violentque (§. 20. & seqq.); atque si ipsi obligationibus vinciunt legatos obtinetur hic finis & quidem accommodatissime (§. 25. & seqq.) vnde patet nequaquam moderatores rerum publicarum hoc in legatos iure priuandos esse. Tandem vero cum bellum plena aleæ res sit, nec armorum Martisque discrimini committenda ea sint (§. 62.), quæ poslunt leuiori opera expeditri. i. e. quibus expediendis media suppetunt, quæ non tanta publicæ saluti ac securitati pericula minitantur portenduntque, quanta quidem ex bellis plerumque oriuntur; ideo non possum non negare calculos GROATIO, existimanti bello exigendam esse, a principe pœnam non plectente legatos criminum in republica, apud quam functi sunt legatione, commissorum reos; satius enim esse vnum plecti quam bello

bello multos inuolui, illud vero habeo exploratissimum, & omnes largiuntur, ac egregie ad rem meam faciunt illa COCCIANA (\*\*) negari plane nequit, satius utique esse, pœnam iure imperii a Legato, quam bello a principe aduersario cum summo discrimine reipublicæ exigere. Quod si hic vindictam bello moliatur, iniuria molitur, quæ alteri ius puniri auferre nequit: exspectandusque est, ceteris paribus, belli euentus mala causa dignus.

§. LXXIV. Quæ, porro, obiicit GROTIUS, (\*) Soluitur obvalde in lubrico locari salutem Legatorum, si actuū iestio Grotii suorum rationem alii reddere debeant, quam a quo IV. mittuntur; quia, cum plerumque diuersa, saxe & aduersa sint utriusque partis consilia, vix est, ut non semper aliquid in Legatum dici possit, quod criminis accipiat speciem; iis iam itum est obuiam a B. COCCEIO. Et verum est (1) quod Legati Imperantibus, ad quos missi sunt, actionum suarum reddere rationem teneantur, id non esse de iis intelligendum, quæ ad legationis negotia pertinent, quippe de quibus Principi demum mittenti suo respondent; ast eas putari actiones, quæ sunt contra publicæ rei, in qua versantur, salutem securitatemque & habent aliquam cum ea connexionem; nec id vero obesse securitati legatorum (§. 70.) euictum probatumque est. Deinde cum Legatos sanctos & inuiolabiles dixerim; nec sub specie iurisdictionis, qua gaudent rerumpublicarum moderatores in ad-

L 3

uenien-

(\*\*) Vid. Diff. illius de Legato sancto non impuni Cap. III.

§. VIII.

(\*) I. citato §. IV. num. 4.

uenientes Legatos; liceant quædam naturæ Legibus aduersa; Inde, quæ GROTIUS ait, semper aliquid in Legatum dici posset, quod criminis accipiat speciem, ea prorsus ad me non pertinere ex his palam redditur; veri enim criminis coniuctum esse legatum oportere, si poenit adficiendus sit, non ficti, mea est sententia (*vid. Cap. II.*) Elegantiora sunt COCEIANA (\*\*), quibus huius GROTIANI argumenti robur eneruat, quam ut prætermitti a me possint; Magis utique, inquit, in lubrico locatur Salus Principis & totius reipublice, si in eius quasi sinu Legatus hostis impune delinquere, & machinari in rem publicam potest; Quid igitur potius Legati persona an reipublicæ? Ceterum nec infidias saluti Legatorum Lex naturæ, sed pœnas statuit sed nec in lubri-  
co locatur salus Legatorum si iure agunt. Quim eti-  
m in eos quid ita statuatur, id per iniuriam fieri posset, siue ius puniendi sit principi, siue non sit  
si igitur salus Legati in lubrico est apud Principem,  
ad quem mittitur; id non est ex iure puniendi sed ex  
iniuria. In eo vero maxime fallitur GROTIUS quod  
ait, semper aliquid in Legatum dici posset, quod  
criminis accipiat speciem, potest enim Legatus cau-  
sam principis sui, apud eum, ad quem mittitur pa-  
lam omni studio & contentione agere, quod in spe-  
ciem criminis verti neutquam potest, at vero clam  
machinando in principem, vel alios ledendo, omnino  
delinquit, neque id speciem delicti habet, sed verum  
omnino delictum est.

§. LXXV.

(\*\*) Vid. diff. cit. Cap. III. §. IX.

§. LXXV. Quamvis igitur GROTIUS omnino sibi persuadeat, placuisse gentibus ut communis iectio GROTHI mos, qui quemuis in alieno territorio existentem eum loci territorio subiicit, exceptionem pateretur in Legatis (\*); cum tamen fundamenta corruerint uniuersa, quibus suam inaedificauit sententiam; fieri non potest quin haec eodem labefactata motu penitus concidat. Mirum autem videtur censeré GROTIUM; placuisse gentibus ut immunes sint Legati a foro loci, in quo quidem commorantur, idque ipsi argumenti instar esse pro stabilienda, quam de Legatorum iudice amplexus est, sententia; vel enim illud, placuisse gentibus, ita capiendum est. singulas sanciuissime gentes ut Legati ad se venientes non tene-rentur suam subire iurisdictionem; sic vero, cum a voluntate eorum profectum sit, immunes esse ab iudiciis eorum Legatos; quotiescumque libuerit licite hoc deferent consilium. Vel; pacta esse inter gentes inita de non subiiciendis, quos ad se iniicem-mittunt, legatis iurisdictioni suæ; ast eiusmodi pa-ctiones intercessisse inter gentes, vnde vero euictum GROTIUS dedit? quid? quod, mea quidem senten-tia, pacta eiusmodi naturæ Legibus aduersantur; Nam, cum obligatissimæ gentes sint adconseruan-dam securitatis & salutis suæ incolumitatem: cum-que ne legati saluti publicæ infidias moliantur, ad id vero obtainendum nihil sit accommodatius; quam legatos ab ipsis gentibus, ad quas veniunt, obligari per poenas & potentem manum, ne ledant pu-blicæ rei salutem (§. 25. & 73.): quis vero exinde conse-

Soluitur ob-  
iectio GROTHI  
desumpta a  
placitis gen-  
tium.

(\*) Loce cit. §. IV. num. 5.

consequi non animaduertet, pacta, quibus priuantur gentes iure suo legum obligationibus auertendi, quæ ipsis pericula impendent a legatis; ea aliena esse a legibus naturæ?

Diluitur illa  
desumpta a tra-  
cito pa<sup>t</sup>to  
quod GRO-  
TIVS inter-  
cedere inter  
admissum  
Legatum &  
Principem,  
ad quem ve-  
nit legatus,  
existimat,

§. LXXVI. Ex quibus palam redditur, quæ  
sit mens mea, de illo tacito pacto, quod fингит GRO-  
TIVS (\*) inter legatum admissum & principem, ad  
quem venit, intercessisse; vi cuius is liberetur ab  
cedere inter illius principis iurisdictione, ac in quo demum  
GRO<sup>T</sup>IV<sup>S</sup> ultimum sententia<sup>s</sup> suæ præsidium quæ-  
rit. Ac vero sine villa ratione, intercedere eiusmo-  
di pactum inter Principem & legatum, statuitur; ad  
tacitam pactionem necesse est consensus eorum, qui  
eam ineunt, ex factis colligi; an vero ex admissione  
legati appareat Principis voluntas, vt non subesse  
legati teneantur suæ iurisdictioni? nego id ac per-  
nego. Quum enim *admittere Legatos* significet li-  
bertatem ipsis dare ingrediendi publicæ rei, ad quam  
missi sunt, terras, & exponendi, quæ habent in  
mandatis; conficitur sane, vt principes, quando ad-  
misserunt legatos, non ideo iis simul a sua iuridi-  
ctione permiserint immunitatem: possunt enim Le-  
gati concredita obire negotia, possunt exponere  
quæ habent in mandatis, quamuis teneantur iudi-  
cia pati imperantium, ad quos missi sunt; ceu illud  
est evidentissimum, & clarus patebit ex sequentibus.

Euertitur  
Obiectio I.  
BYNKERS-  
HOEKII im-  
pediri lega-  
tiones.

§. LXXVII. Nam, vt tandem ad BYNKERS-  
HOEKII obiectiones, quas diuersas a GRO<sup>T</sup>IANIS  
habet, animum aduertam; labefactare is senten-  
tiā meā aggreditur ea ratione; quod impediendæ  
non

(\*) Loc. cit. §. V.

non sint Legationes, impediri eas autem, si debeat Legati subesse imperantium, ad quos veniunt, iurisdictioni (\*). Quod autem oppositum mihi argumentum quam omni pondere destituatur apparbit, quando, quid significet *impedire Legationes*, in aprico erit positum; Cum, qui plane omnes Legatos ab aliquo Principe missos reiicit, nec libertatem ipsis concedit exponendi tractandique negotia, quae habent in mandatis; eum dicamus impedimento esse Legationibus; ideo, omnia Legationum esse impedimenta, euidens est, quae negotia, quorum causa Legati mittuntur, plane perturbant, eisque expediendis prorsus officiunt. Quare, quamuis Legati, ob crimina in republica, apud quam funguntur Legatione, commissa ea poena affecti sint, qua, quo minus tractandis negotiis operam dent impediuntur; non ideo tamen plane cessant eae Legationes, ad quas obeundas missi illi sunt Legati, siquidem nuntio accepto Principes, quorum Legati poenas passi sunt, aliis hanc Legationis prouinciam demandabunt. Quod si urget BYNKERS

M

HOE-

(\*) Vti colligere est §. II. Cap. VII. de iudice Legatorum pag. 75. gallica editionis qua ego vtor. verba ita se habent; „Ainsi il faut à la vérité qu'on n'apporte aucun retardement „ni aucun empêchement à ce que l'Ambassadeur ne puisse „commodément vaquer à ses négociations, pour l'intérêt de son Prince., Et paulo post cum ipse erga hanc sententiam objectiones alias formulariset; „Tout ce qu'on „peut dire pour colorer la Justice d'un Privilége si „commode, c'est qu'il est nécessaire de l'accorder ius „qu'à ce point pour ne pas detourner les Ambassadeurs des fonctions de leur emploi., In primis confer §. V. *ius Cap. VII.* In quo persequitur hanc rationem sicut,

## 90 CAP. IV. ALITER SENTIENTIVM

HOEKIVS, et si non impedian tur Legationes, retardari eas tamen trahi que Legationes, quæ non recipiant cunctationem; respondeo; Legatos ipsos esse in culpa ut hæc mora eu eniat; nec video cur ea propter ferendum sit moderatoribus rerum publicarum, impune Legatos impingere in officia sua, lacefere ciues, conturbare publicæ salutis rationes; Deinde, quoties vero futurum est, ut, quia, Legati iudicis irretiti sunt, ideo negotiorum abiis expediendorum aliqua fieri debeat intercapedo? cum otium habeant res suas curandi, cum tempus reliquum ipsis sit, quod venationibus, spectaculis & id genus alii recreationibus, impendant, (\*\*) sane nec multitudine occupationum prohibentur quo minus causam defendant suam in iudiciis.

Obiectio II.  
BYNKERS-  
MOEKII.

§. LXXVIII. Si tantum salutis publicæ momentum in Legationibus situm est; si non futurus esset qui Legatione fungeretur, quando Legati imperantium, ad quos veniunt, subesse iurisdictioni tenerentur, (ita, porro, rationes subducit suas BYNKERSHOEKIVS (\*)); sequitur ut Legati iudiciis

(\*) Sic comparatum est, quod ipse sibi oponit BYNKERSHOEKIVS; argumentum; ad quod cum nihil responderit, nec cum huic rationi sue, quam hoc §. LXXVII, perlustrauit, multum confidere intelligitur; „Les Ambassadeurs „inquit, qui résident pendant long tems dans une Cour „étrangère, comme font au joudhui la pli part, n'ont „presque rien à faire, & ne passent guères leur tems „qu'en Festins, en spectacles, ou autres sortes de Divertissemens; se contentant d'écrire quelque fois à leur Prince, pour leur apprendre qu'ils sont encore en vie, & qui'ils pensent à Lui quelque fois.,, Vide Cap. VII. de Iudice Legatorum §. II. pag. 76, editionis gallica.

(\*\*) Vidi, Cap. VII. §. V. pag. 76, edit. gallica.

diciis reipublicæ, ad quam veniunt, subiici non debant. Consentio multum conferre ad salutis publicæ incrementum Legationes (§. 4. & 48.); ast, si obnoxii redderentur Legati publicæ rei, ad quam mittuntur, iurisdictioni, defuturos qui Legationum munera obirent; id vt existimem adduci me numquam patiar; Nam *aut* Legati propensi sunt ad ex plenda virtutum officia animi, suum tribuentes cuique, laudentes neminem & Legum parent obligatio nibus; illis vero idem est cuiuscunque subfint iurisdictioni: non enim agere ea intendunt quæ coerceri pœnis debeant vtque eos compelli ad officia per potentem manum opus sit: *aut* illi vitiorum flagitiis indulgent; rapiunturque affectuum suorum imperio; his autem nec demandari debent illa momentosa Legationum munera; ac si pœnis illi afficiendi sint, aut compellendi ad officia contradicentes; nihil quidem eorum interesse debet a quonam Principe puniantur adiganturque ut sua expleant officia.

§. LXXIX. Supereft illud BYNKERSHOEKIA. Obiectio III.  
NAE sententiæ munimentum; ad quod, qui **ILLI & BYNKERS-**  
**GRO TIO** suffragantur, veluti ad sacram anchoram **HOEK II re-**  
omnes configiunt; nimirum legatos extraneorum fellitur.  
curare principum negotia, non subditos esse reipubli-  
cæ, ad quam veniunt, nec ideo iurisdictioni illius  
subiiciendos (\*); quæ itaque euertenda mihi sunt;  
An euertam vero quæ conuulsa iam sunt dirutaque?

M 2

Nam

(\*) *De Indice Legatorum Cap. V. §. VII. Cap. VIII. §. II. Cap.*  
*XVII. §. XII.*

Nam (I) ius competere rerum publicarum moderatoribus, ad quos veniunt Legati, hos suæ subiiciendi imperio; id, nisi me fallunt omnia, euictum dedi (§. 29.); Deinde vero (II) quamvis ponamus legatos non esse subditos Imperantium, ad quos veniunt, illud tamen omni caret fundamento, quod Imperantibus adscribi in eos iurisdictione non debeat, qui non sunt subditi eorum. Cum enim *iurisdictione* in iure consistat iudicandi de quorundam actionibus secundum leges & iudicatum exequendi (§. 13.), id quidem in aprico ponitur, qui subesse iurisdictioni debet, ut ille legibus quibusdam obligatus sit necessario requiri: ast etiam homines naturalibus legibus tenentur, & qui non ciuilibus reipublicae legibus obstringitur; is publicæ illius rei non est subditus (§. 29.); vnde luce clarius meridiana appetet, qui iure gaudet iudicandi de eorum, qui non ipsius legibus tenentur, actionibus secundum naturæ leges; illi in non sibi subditum competere iurisdictionem. Cum vero ad iurisdictionis munera præter iudicandi ius, ius etiam pertineat exequendi iudicatum; ac vero qui exequitur iudicatum, is pœnas statuat aut adducat potenti manu ad obeunda, quæ debent, officia contradicentes (§. 13.); cumque qui pœnas statuit compellitque contradicentes ad officia; is eos obligationum vinculis constringat (§. 25.), ac qui obligantur legibus, illi subditi fiant; (§. 29.): ideo, (I) posse imperantibus in eos competere jurisdictionem, qui non sunt subditi eorum; ast (II) fieri eos tamen, quando, qui imperant, suo iurisdictionis iure aduersus eos vtuntur; id facile est ad animaduertendum. Quia, porro, non potest quisquam imperantium

rantium subesse iurisdictioni, in quorum non est potestate positus (§. 73.); inde (§. 41.) stabilitum a me est; quamvis legatus nondum sit subditus imperantium, ad quos venit, quia tamen in eorum constituitur potestate; ideo ius illis competere imperibus animaduertendi in legatos, si infidias publicæ saluti struxerint, extraordinaria pœna, ut cum illi tum alii ab eiusmodi malevolis absterrentur connatibus; & compellendi eos contradicentes ut munera sua & partes suas erga ciues reipublicæ expleant; ac hinc imperantes etiam in legatos nondum subditos gaudere iurisdictione; siquidem in IVRE consistit iurisdictio.

§. LXXX. Quibus, porro, vtitur argumen- Translatio fit  
tis BYNKERSHOEKIVS (\*), pro stabilienda seri- ad CASSIANA  
tentia sua; ea, cum non sint a GROTIANIS di- Argumenta:  
uersa, nec peculiari indigent perlustratione. Quod & diluitur I.  
ad STEPHANVM CASSIVM attinet; is quoque eam Obiectio  
rationem, quod legatus non sit imperantium, ad cassis.  
quos venit, subiectus imperio, in partes suas vocat (\*\*), quæ vero §. anteced. excussa, ni fallor, a  
me est & labefactata concidit. (\*\*\*) Deinde ex

M 3

Chas-

(\*) Vid. Caput V. VII. XVI. XVIII. & XIX.

(\*\*) Vide diatriben EIVS de iure & iudice Legatorum Sect. III. §. V.

(\*\*\*) CASSII hanc esse palmariam rationem; nempe non esse subditum Legatum; id inde etiam liquet; quia cum Principi, ad quem venit, aqualem censeret ac ideo quidem quia (I) Principem suum repræsentet, vid. Sect. III. illius §. 22. & (II) quia non consenserit ut subiiceretur Principis, ad quem venit, imperio; alterum everti rationem §. hoc LXXX. alteram §. LXXXII. Unde quæ hoc fundamento suo §. 28-29-32. & aliis inædificat, etiam corrunt.

Charactere legatorum repræsentatito dicit pro aſtruen-  
da eorum immunitate ab imperantium, ad quos  
veniunt, iurisdictione, argumentum; ex iis que  
dixi, inquit, liquido intelligi arbitror, que sit illa  
sanctitas Legatorum ex Iure Naturæ & Gentium, vi-  
delicet EADEM QVÆ MITTENTIS, summa  
inter homines atque perfectissima, QVA LEGIBVS  
CIVILIBVS QVIBVS CVNQVE & OMNI HUMA-  
NA POTESTATE AC IVRISDICTIONE eximitur sol-  
uiturque. Id quidem huic quod genti, illi autem quo-  
ad mittenti Legatus substitutus est competit. (\*\*\*\*)  
Verum (I) id saltem vult repræsentatiua qualitas Le-  
gatorum, vt iisdem illi, ac Principibus, a quibus  
missi sunt, debentur, honoribus perfruantur (§. 7.)  
ideoque CASSIVS & quicunque hac in parte cum  
eo sentiunt, in conceptu Characteris repræsentati-  
tii falluntur. (§. cit.) Ac (II) cum nec ipſi principes  
plane territorii, in quo versantur, autoritatem ef-  
fugiant (\*\*\*\*\*), (§. 33.) ; consequens est, vt etiam  
si ponamus Legatos Principibus suis in omnibus si-  
miles haberi; non tamen hic Character eorum re-  
præsentatius patrocinetur immunitati, quam vin-  
dicare sibi annituntur, ab imperantium, apud quos  
Legationem obeunt, iurisdictione. Deinde (III)  
si id quoque in gratiam aliter sentientium concedam,  
Principes in alienis terris commorantes, nulla te-  
peri

(\*\*\*\*) §. 82. Sectionis II. operis citati.

(\*\*\*\*\*) Exempla Principum, qui ipſi in iudicis causam suam  
dixerunt, vide apud BYNKERSHOEKIVM Cap. IV. §.  
III. IV. V. & VI. in GELDRIÆ ducatu Principes solent  
extranci in eo commorantes in iudicia vocari.

neri iurisdictione; si admittam, porro, id etiam secum ferre Characterem repræsentatitium Legorum (quæ tamen euinci nulla possunt ratione), an protinus canerent aliter sentientes Triumphum & trophæa ponerent? neutquam possent; nam, cum tamen non eant inficias a Principum concessione Characterem proficisci repræsentatitium legatorum; id antea, cuinam vero Principi, anvero mittenti, aut illi ad quem veniunt, ea Characteris repræsentatii iura Legati referre accepta deberent, foret enoluendum; Principi certe, a quo mittuntur, ea iura debituri non essent, cum iis idem ipse destituatur, (nec enim alium Principem obligare ut de Legato suo non iudicet, ipsi licet); si autem ea a Principe, ad quem venit Legatus, proficiscuntur; omnis inter nos existeta est dissensio; renunciat enim tunc Princeps iuri suo. Tandem (IV) cum non omnes Legati Charactere fulgeant repræsentatio non possum non mirari, fuisse & esse adhuc, qui eo nomine Legatis omnibus, a Principum, ad quos mittuntur, iurisdictione vindicare immunitatem annituntur. (\*\*\*\*\*\*)

§. LXXXI. Ast tamen, omnes Legatos gentem, cuius expedient negotia, repræsentare, gentes

(\*\*\*\*\*) Id adhuc monendum est, valde incongrua videri, quæ CASSIVS existimat. *Omnibus legibus civilibus, & omni humana iurisdictione solutos esse Legatos,* (vid. eius verba in initio huius §. LXXX. allegata); Non est quisquam Legibus civilibus solutus, nisi sit imperans; An vero imperans Legatus est? An permittendum Legato, ut impune occidat, ledat, defraudet, circumueniat omnes? patet quæ hæc CASSII omni fundamento destituantur.

tes vero nullius teneri iurisdictione, alii obiciunt; Enim vero non alia ratione Legati repræsentare gentem suam dicendi sunt, quam quod ea, quæ a Legatis cum exteris acta sunt, eiusdem habeantur stabilitatis, ac si per ipsius gentis vniuersæ suffragia decreta expeditaque fuissent; non enim alia in re haberi similes genti, a qua mittuntur, vniuersæ possunt (§. 7.)

Obiectio  
CASSII III.  
quam exinde  
petit, quia  
non consen-  
serint Legati  
euertitur.

§. LXXXII. Tandem id quoque telum, quod CASSIUS in me stringit, retundendum est; ideo non competere ius rerum publicarum moderatoribus, eos, qui in ipsorum terris morantur, suæ subiiciendi iurisdictioni, quia nempe illi non consenserunt. (\*) Profecto non contigit mihi adeo esse felici, vt, quid consensus Principis cuiusdam terras ingredientium ad hanc rem faciat intelligerem. An enim æquo ferant animo Principes, qui in ipsorum terras veniunt, eos impune struere machinarique publicæ saluti insidias, eos lädere ciues, defraudare, circumuenire vniuersos, nulla eos intacta relinquare ut flagitiousissima quæque impune committant, & ideo quidem quoniam, vt punirentur ab iis principibus adducerenturque ad officia sua explenda, non consenserunt? Remittendos, inquis, esse ad rem publicam, in qua fuerunt antea commorati? sed non consenserunt ut remitterentur, non delatum ab ipsis est hoc Ius Principibus, in quorum terris nunc sunt; nihil tamen secius vrges, vt concedantur Principum Dominorum suorum potestati, requirere publicæ

(\*) Vide Sect. III, §. 1. libelli de Iudice Legatorum Sect. III.  
§. 2.

publicæ salutis rationes? hæc ego & eadem volebam; nec igitur inficiaris licere moderatoribus rerum publicarum quædam ex salutis publicæ rationibus, quamvis illi, in quos ea licent, vel maxime mentem suam & voluntatem aliter declarauerint; ac exinde demum stabiliuisse mihi videor, competere ius imperantibus, legatos suæ subiiciendi iurisdictioni, puniendi eos si crimina patraverint compellendique ut officia ciuibus debita explent contradicentes (§. 20. - 25. &c seqq.), quicquid alii nitantur in contrarium; consule, si placet, (§. 29. & § 73.) quæque in iis dicta sunt de subiectione, ac non remittendis Legatis ad Principes, quorum gerunt negotia, vt illi in criminum reos animaduertant &c. meditare curatus.

S. LXXXIII. Quibus igitur omnibus difficultatibus & obstaculis, quæ obuersari sententiæ meæ videbantur, e via remotis, summa nunc demum manus huic dissertationi imponenda est. Constitutum equidem erat ad Romanarum Legum de legatis sancta consideranda attentius & momentis suis ponderanda aliqualem operam meam aduertere; quæ vero cum iam excussa explicitaque a BYNKERSHOEKIO (\*) & RICHARDO ZOVCEO (\*\*) alisque deprehendam; cumque alienum sit ab instituti mei rationibus minima quævis consectari & ab aliis occupata repetere; ac iam dum præter exper-

Epilogus &  
re capitulo-  
tio dictorum

N

Etatio-

(\*) Vide Caput VI. libri BYNKERSHOEKIANI de iudice Legatorum.

(\*\*) Capite VIII. dissertationis de legati delinquentis Iudice Competente.

98 CAP. IV. ALITER SENTIENT RAT. POND.

Stationem hæ paginæ excreuerint; ideo quidem eo  
Iubentius hoc deserui consilium. Contentus sum  
stabluiisse subiiciendos esse Legatos Imperantium,  
ad quos veniunt, Iurisdictioni (§. 30. & seq.) fora eos  
& ciuilia & criminalia (§. 36. & 37.) contractus, &  
delicti (§. 39.) in republica, apud quam legatione  
funguntur, sortiri; multaque perperam Iura Le-  
gatis tribui, quæ nulla ipsis ratione competit  
(Cap. III.). Et quamvis longe aliam iniuerim pro-  
bandi rationem, ac alii consueuerunt, siquidem  
adduci non possum, vt eorum Iudicis calculos ad-  
dam, qui gaudere imperantes in legatos iurisdi-  
ctione, exinde quia in hostem licent omnia, sibi  
persuadent; quæ tunc enim in legatos licent, ea  
fieri per defensionis modum non iurisdictionis re-  
ète monet CASSIVS (\*\*); Quamvis porro a ple-  
risque & tantum non omnibus, qui de legis commentarios  
adornauere, secessum fecerim; mihila-  
men facile & iuuenili ætati meæ cum a veritate pa-  
trocinium; tum, quod me huic argumento multis  
& difficultatibus & dubitationibus obruto commis-  
serim, apud AEQYOS LECTORES veniam polliceor.  
Meum denique est, dum in portum delatus sum,  
DEO supremo rerum omnium studiorumque M O D E-  
RATORI, votiuam suspendere Tabulam, Eique to-  
tius, si qua futura est, vitæ meæ ac studiorum ra-  
tiones votis incitatissimis commendare.

TANTVM EST.

(\*\*) Sed. III. sèpius citati tractatus §. 65.

VIRO

# VIRO IVVENI GEN- ROSISSIMO

EXIMIAQVE ET VIRTUTE ET ERVDITIONE  
SVMMOPERE COMMENDANDO

S. P. D.

## PRAESES.

**J**am pridem est, ex quo crebrore, quæ Tecum  
mihi intercessit, consuetudine edoctus singu-  
laris ingenii Tui dotes & admirari & suspicere  
ceperim. Licet enim in florentissima hac nostra Fri-  
dericana iuvenum nobili sanguine natorum haud  
exigua sit annona, quorum quisque non generis  
tantum splendore, sed sua propria quadam laude  
floreat; inter æquales tamen Te doctrina nulli in-  
feriorem, multis vero & virtutum ornamentis &  
morum elegantia longe superiorem iure merito-  
que censui. Quapropter quum per aliquot annos  
non nostris tantum diligenter scholis vñus, sed &  
aliorum optimis tinctus præceptis, specimen tan-  
dem aliquod academicum meditareris, maximo-  
pere mihi gratulatus sum, quod suasu optimi Pa-  
rentis, VIRI VENERANDI, meo potissimum

N 2

auxi-

auxilio hac in re uti, mihique Præsidis, vt vocant,  
munus deferre volueris. Evidem non sum igna-  
rus Te meo hac in re officio facile superfedere  
potuisse, quum tantus Tibi insit ingenii vigor, tan-  
ta iudicij acies, cum suauissimo sermonis lepore  
coniuncta, vt vel solus ad auertenda aduersariorum  
tela sufficeres, nec ad periculum, quod illi inten-  
tabunt, feliciter propulsandum alieno indigeres,  
clypeo. Nihilo tamen secius pericundum mihi  
cecidit, saltem ut testem & præconem eruditio[n]is  
& obsequii simul erga summum Parentem Tuum  
documentum diu iam votis meis expetitum sta-  
tuere. Ipsam vero dissertationem quod attinet,  
eam mihi tradidisti proprio marte elaboratam &  
ita limata[m] atque perpolitam, vt, quæ mea qui-  
dem sententia est, nihil plane neque omitti neque  
adponi commode queat. Conscriptisti eam secun-  
dum principia, quæ pro diuersis doctorum opinio-  
nibus non omnibus probantur, methodum deinde  
elegisti itidem perpaucis, nec mihi ipsi vt ingenu[e]  
fatear, in elaborando inueniendoque familiarem.  
Hac ego ratione inductus potius nihil omnino, imo  
ne literam quidem addere volui, quam aliquid in-  
terponere, quod vel minus cum reliquis cohæreat,  
vel theses Tuas aliquo modo suspectas reddere, vel  
ordinem qui Tibi adeo arrisit, turbare posset. At  
vero non opus est lima, quando enim quid ratio-  
ne in consilium adhibita excogitatum & elaboratum  
est validissimis quoque rationibus facile propugna-  
bitur, imprimis a Te qui & doctrina & facundia  
abunde polles. Quare nihil prorsus reliquum est,  
quam

quam ut Tibi ex animo gratuler, conceptisque votis adprecer, vt Tuam indefessam plane industriam promeritum olim maneat proemium & omnia coepita Tua ad sanctissimi Numinis summam gloriam & patriæ eximum eueniant emolumentum. Tu modo eam, quam semel iam strenue calcare incipiisti, semitam imposterum impigre ambulare pergas; ad celsissimum sane amplissimæ verissimæque laudis fastigium eniteris felicissime. Eodem trahite paternarum etiam virtutum vna cum egregiis fratribus, quorum alter iam laudabiliter Tibi praedit, alter autem eadem fere Tecum premit vestigia, iustissimus aliquando hæres es futurus, nouumque inclytæ Familiae allaturus ornamentum. Dabam in Fridericana die 30. Mensis Octobris  
MDCCX XIV.

---

**Q**uid labor assiduus & quantum industria possit  
SCARDENE, hoc specimen satque super,  
que probat.

Ut fortunatis successibus opto fruaris  
Perpetuo in studiis ore animoque Tuis.

*Hez  
Generoso ac Doctissimo Autori Dissertationis  
nis in amicitia testimonium ad ponere  
voluit.*

**O. E. DE GRVMBKOW,**

*Nomina*

**N**ominis LEGATI, Legati Munera, Jura,  
Et quo sitatur Judice, Charta decet.  
Legatumque quidem sanctum, SCHARDENE  
probasti,  
Lædere quem nemo, nec violare queat.  
Ait illum arbitrio proprii dum Principis ausus,  
Ciuemque alterius Principis esse putas,  
Impugnare Viros magnos interritus audes,  
Quorum per populos Nomina clara volant.  
Scilicet his armis vinci, atque in talibus ausus,  
Hoc merito dici gloria magna potest;  
Tantum & laudis habet, quanto est victoria maior,  
Vincere tam doctos tam celebresque Viros.

IOANNIS PHILIPPI HEINII  
Profess. Reg. Illust. Gymn. Ref.

Sphalma typographica, quæ præter expectationem  
irreperunt, Benevolus Lector ipse me emendabit. In primis  
§. XX. linea 13. post verba conuenere omnes, addet iis demum;  
porro pag. 70. linea 20. post verba, ad officia defungendum  
habeat exploratum, addet hanc parenthesin, (quando ni-  
mirum nulla bona sita habeat in ea re publica ex qua excessit.)  
& pag. 81. linea 2. post verba nec adigere addet  
semper eos possit (§. 64.)



**ULB Halle**  
002 815 230

3







Q. D. B. V.  
DE

1724  
12a 2

LIX.

20

# IVRIBVS ET IVDICE COMPETENTE LEGATORVM,

DISSERTATIO IVRIS GENTIVM ET PVBLICI VNIVERSALIS

QVAM

AUSPICIIS

IOANNIS LAURENTII FLEISCHERI  
IC<sup>T</sup>I

AVGVSTISSIMO PORVSSIAE REGI A CONSILIIS AVLICIS  
ET IVRIVM PROFESSORIS ORDINARII  
IN FRIDERICIANA

CONSENTIENTE ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM  
ORDINE

PVBLICAE ET PLACIDAE ERVDITORVM  
CENSVRAE SVBMITTIT

IN AVDITORIO MAIORI

D. 2. NOVEMBRIS MDCCXXIV.

NICOLAVS LVDOVICVS DE SCHARDEN

HALLENSIS MAGDEBURGICVS  
AVTOR ET RESPONDENS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis IOANNIS GRVNERTI, Academ. Typogr.